



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XL. De Voto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

non obligarentur. Sicut enim qui ex errore, quo putat se debere, vel metu iniusto aliquid promittit, non tenetur: ita etiam qui ex simili causa in aliquam consuetudinem aliquid soluendi est inductus. Hoc tamen intellige, nisi accedat prescriptio, qua parochus vel ministri Ecclesie ius recipiendi & exigendi tales oblationes vel pensiones tempore iure definito bona fide possederint ac vsuceperint. Possessio enim bona fide con-

tinuata, talis iuris parit prescriptionem: continuatur autem per talem consuetudinem. Quantum autem temporis requiratur ad eiusmodi iuris prescriptionem aduersus laicos, quam potest. Puto sufficere decennium; sicut in prescriptione immobilium aduersus presentes. De quo vide supra cap. 6. dubit. 8. Accedit quod consuetudo prescribatur decennio, ut ibidem cap. 14. ostentum est.

Prescriptio.

CAPUT XL.

De Voto.

Habet Dubit. 20.

DUBITATIO PRIMA.

Quid sit Votum.

D. Thomas q. 88. art. 1.



RESPONDEO, Votum esse promissionem Deo factam; votum enim est aliquid Deo sancte promittere; ut constat ex Auctoribus Latinis; unde votum est promissio ipsa. Aliquando votum accipitur pro desiderio; & votum pro desiderio; id enim cuius causa vouemur, valde desideramus; sed primario significat Deo aliquid promittere. Itaque omne votum est promissio quaedam; non tamen contra; nam promissio, quae fit homini, non dicitur votum; sed ea tantum quae Deo.

uertat quid agat, quale onus capeat, quibus vinculis se constringat. Unde si quis ex subito animi motu vel consuetudine, lingua mentem praerente, voueat, non obligatur; sicut qui simili impetu malum alicui imprecat, non peccat mortifere. Idem dicendum si solum semiplene aduertat.

Vouens in deliberare.

Dices, Cum imperfecta seu semiplena animaduersione potest quis contrahere peccatum veniale: ergo etiam obligationem, quae sub veniali astringat; videtur enim par ratio.

Imperfecta attentio.

Respondeo, Esse magnam hac in re disparitatem inter peccatum, & vinculum promissionis: promissio enim non inducit vinculum, (vel si inducit, facile eliditur) quando vi vel fraude extorquetur: at haec non excusant peccatum. Deinde promissio debet esse directe volita & acceptata: ad peccatum sufficit voluntarium indirectum & interpretatum. Denique peccatum contrahitur sola negligentia in debito vti potentiarium, cum re oblata non satis attendimus animum; imò interdum sola omissione: at haec non sufficiunt ad vinculum promissionis; sed requiritur actus positius & directus.

Simili modo, ad opus meritorium non sufficit imperfecta attentio: nam bonum debet esse directe volitum, & quia tale; malum vero minime. Deinde modus iste operandi est imperfectus, & ex peccato proueniens; unde per se potius vituperationem quam laudem meretur: nam homo tenetur perfecte attendere qualis res sit, priusquam illam acceptet, ne aliquando contingat illum decipi. Verum plenior horum tractatio pertinet ad 1. 2.

Itaque etsi ad violandam obligationem voti sufficiat imperfecta consideratio, non tamen ad vinculum voti inuehendum.

Imperfecta consideratio hoc loco censetur, cum solum confuse & tenuiter aduertis quid agas, alteri rei intentus; ita ut res non offerat se qualis est, nec absolute ut grauis. Unde si antequam plenius eam introspicias, promittas, mirum non est te non obligari; quia videris quasi per ignorantiam promisisse, cum rem promissam formaliter non apprehenderis; nec aliquid occurrerit, quod te ad hoc satis excitauerit. Unde postea aduertens plenius, miraris te promisisse, & ita te reuocas.

Quinque requisita ad validam promissionem.

1. Deliberata.

An in momento.

Ut promissio sit valida, quinque requiruntur. Primo, Ut sit deliberata. Secundo, Ut libera. Tertio, Ut fiat cum intentione se obligandi. Quarto, Ut sit de re grata promissario. Quinto, Ut promissor possit se obligare.

Primo, debet esse deliberata, non quod opus sit longamentis agitatione, ut quidam volunt; sed quia requiritur perfecta quaedam animaduersionio eius quod agis: perfecta inquam quae talis sit, ut in materia praua sufficiat ad peccandum mortifere & in bona ad merendam salutem; ut communiter tradunt DD. Siluester v. Votum, 2. num. 13. Caietanus qu. 88. art. 1. Sotus lib. 7. de Iustitia. qu. 1. art. 2. Nauarr. cap. 12. num. 26 & alij. Ratio est, quia ea consideratio, quae satis est ad obligandos nos diabolo, eiusque seruituti dedicandos, merito sufficiens censeri debet ad obligandos Deo. haec breuissimo tempore fieri potest; & ut quidam volunt, in momento; quod etsi locum habere possit in Angelis, credo tamen vix fieri posse in mortalibus: quia vno momento rem non satis considerare possumus, ut eam liberè eligamus vel refutemus; unde ordinariè aliquod tempus requiritur, etsi breuissimum.

Nec refert etiam paulo post poeniteat: id enim non est signum defuisse sufficientem deliberationem, ut vult Angelus v. Votum 1. nu. 6. Quia mutatis circumstantiis facile hominem poenitet, etiam eorum quae maturè deliberatione fecit. Quam multi contrahunt matrimonium, aut incurrunt contractus, quos statim poenitet?

Ratio cur requiratur perfecta animaduersionio, est, quia promissio est lex quaedam & onus, quod sibi quis ipse imponit: nemo autem censetur sibi aliquod onus velle assumere; nisi plenè ad-

5
2. Spontanea. Secundo, Debet esse *spontanea*, id est, non metu vel dolo iniuste extorta. verum de hoc fufius dubit. 2. & 3.

6
3. Cum intentione se obligandi. Tertio, Requiritur vt fiat *cum intentione se obligandi*. actus enim agentium ex intentione, non operantur vltra intentionem; cum ab ea omnem suam vim habeant. sicut enim lex non habet vim, nisi iuxta intentionem legislatoris; ita nec votum aliave promissio (quae est veluti lex quadam, quam quis sibi imponit) vim habet, nisi iuxta intentionem promittentis. & sicut potestas Superioris non inducit obligationem subdito, nisi applicetur a voluntate, ad eam mediante praecipio causandam; sic ius, quod quis in seipsum habet, non infert obligationem mediante promissione, nisi quis intendat eam inferre. Vnde nec amplius, nec aliter, nec diutius quam intendit. Non tamen est necesse vt formaliter hoc intendat; sufficit vt implicite, vt dum sciens & volens vouet: & in dubio semper praesumitur intentio; quia haec formae promissoriae naturaliter & ex vtu omnium genium est coniuncta.

Intendens vouere, non tamen se obligare. Sententia Soti. Petes Primò, Quid si quis intendat vouere, tamen interius nolit se obligare, tenebitur voto? Sotus lib. 7. q. 1. art. 2. putat teneri. Ratio est, quia obligatio oritur ex voto, sicut effectus necessarius a sua causa: ergoposito voto, nequit impediri.

Sed contrarium est longe probabilius: tenet Nauart. cap. 12. num. 27. Siluest. v. Metus, q. 8. & v. Pactum, n. 4. Angelus v. Votum 1. quaest. 7. Glossa in cap. Literaturam. 3. de voto & voti redempt. Richardus in 4. d. 38. qu. 3. circa tertium principale. Probatur Primò, Quia quando actui apponitur aliqua conditio vel clausula, quae est contra substantiam actus, ille actus est irritus. sicut si quis dicat se vendere vel donare rem; ita tamen vt nolit eam a se alienare: si contrahat matrimonium, ita vt nolit obligari ad reddendum debitum. at hic apponitur talis clausula voto, saltem tacite, & ipso animo: ergo votum est irritum. Secundo, Qui vouet cum expressa intentione se non obligandi, reuera non intendit vouere, sed fingere & simulare votum externa specie verborum: dicendo enim, *voueo, promitto*, mentitur; quia contra mentem loquitur; cum mens interius contradicat. Quod si putet se posse vouere absque obligatione, fallitur; quia quid nomine voti significetur, non intelligit. vnde nec talis actus inducet obligationem; cum procedat ex errore circa substantiam actus: & actus agentium non operentur vltra intentionem eorum.

Verum votum parit obligationem, non fictum. Ad argumentum Soti Respondeo, Obligationem nasci ex voto, si sit verum votum: at non est verum votum, sed simulatio voti, si mens interius nolit se obligare: ista enim interior voluntas est contra substantiam voti.

Dices, Hoc ipso, quo quis sciens naturam voti vult vouere, implicite vult se obligare.

Respond. Primò, Id verum esse si verè velit vouere: at is, qui habet animum non se obligandi, non vult verè vouere, sed simulat se vouere.

Respond. Secundo, Id verum esse, quando animus interius obligationi non contradicit. secus quando expressè contradicit: non enim potest centeri implicita voluntas se obligandi; vbi adest expressa voluntas resistens obligationi.

7 Petes Secundo, Quid si vouens intendat quidem vouere, non tamen implere votum? Qui-

dam viri docti putant etiam in hoc casu non teneri voto. Probant Primò, quia D. Thomas art. 1. dicit, *Ad votum tria ex necessitate requiruntur, de liberatio, propositum voluntatis, & promissio*. loquitur autem de proposito non tantum se obligandi, vt quidam volunt, sed de proposito exequendi: quia dicit *promissionem sequi ex proposito faciendi*. Secundo; Promittere non solum est se obligare, sed etiam significare se facturum quod promittitur: ergo qui habet animum non faciendi, non verè, sed fictè promittit; ac proinde non obligatur. Tertio, Si quis promitteret, & adderet se non habere animum implendi, videretur potius alteri illudere quam promittere; ergo idem censendum si mente id ipsum addat.

Quid si non intendat implere. Quorumdam sententia. Sed contraria sententia est communis Doctorum, Soti, Caietani, Nauarr. Probatur Primò, Qui iurat se aliquid daturum, tenetur, etiam si dum iurat non habeat animum dandi: ergo similiter qui promittit, tenetur, etiam si dum promitteret, non haberet animum implendi promissum. Consequentia patet, quia in iuramento promissorio non minus significas te habere animum implendi, quam in impliciti promissione: ergo si defectus illius animi, & mendacium in tali iuramento commissum non tollit vim iuramenti, non tollit etiam vim promissionis. Secundo, Quando Superior aliquid praecipit, significat se velle vt ista res fiat, & tamen contingit interdum vt nolit illam executioni mandari; nec ob id, praecipit carebit vt obligandi: ergo potest quis etiam sibi ipsi imponere aliquam obligationem ad aliquid faciendum; etiam si careat animo exequendi. Tertio, Possum aliquid alteri validè donare vel vendere absq; animo tradendi: cur non possum etiam validè promittere? Quarto, Denique multi sunt fortassis in quibusdam Ordinibus, praesertim militaribus, qui profitentur castitatem vel paupertatem absque proposito eam seruandi: quis tamen audeat dicere tales coram Deo non altringi suo voto? Quinto, Probatur allata ratione; quia sicut de ratione promissionis non est vt praestetur ipsa res, sed solum vt detur aliquod ius remotum ad illam; ita neque de ratione ipsius est, vt habeas animum rem promissam praestandi, sed solum vt habeas animum conferendi ius aliquod ad illam exigendam, & ad obligationem aliquam tibi imponendam.

Ad Primum Respond. Illa tria requiri vt promissio legitimo modo, & absque peccato fiat. Ad ratio- nes.

Ad Secundum, In promissione duo significantur. Primò, Quod te ipsum obliges, ac proinde quod habeas animum te obligandi. Secundo, Quod sis facturum, & habeas animum faciendi. Prior significatio pertinet ad essentiam promissionis. Vnde vt promissio sit vera, debet quoque haec significatio esse vera. Altera non pertinet ad rationem promissionis, vnde etiam si vera non sit, non ideo promissio erit nulla.

Ad Tertium, Qui suae promissioni adderet se non habere animum implendi, putaretur non ferriò, sed ioco promittere, nec velle obligari. alioquin si constaret illum ferriò voluisse se obligare, posset cogi ad implendum quod promissit.

Ex supradicta tertia conditione sequitur Primò, Eum, qui aliquid vouit, si post votum aliquid se aperiat quod antè latebat, vel quid noui eueniat, quod ille suo voto prudentum iudicio

8

Conscia-
ria duo.

cio

cio non videtur voluisse comprehendere, ad illud non teneri. Ita docet Sotus lib. 7. quæst. 2. art. 1. ad 3. ex D. Thoma, Nauarrus cap. 12. numer. 50. Lopez cap. 45. Fumus v. Religio, num. 9. v. g. vouisti peregrinationem, & interea via sunt redditæ infestæ latronibus; vouisti ingressum alperæ Religionis, & interuenit morbus, cum quo, medicorum iudicio, non poteris perferre; quibus euentis suspenditur executio. sed de hoc plura dubitatione secunda.

Votum non obligat ultra intentionem voluntatis.
 Sequitur Secundò, Nullum votum obligare ultra expressam vel tacitam intentionem vouentis. Vnde qui professus est in Religione, vbi non seruebantur nisi essentialia, non intendens se ultra receptam consuetudinem asserere, non obligatur ad arctiora, vt docet Fumus, Nauarrus, & Lopez supra, & Siluest. ex Panormitan. Religio 3. qu. 12. quod limita, Nisi fortè illa sint necessaria ad seruanda substantialia. talis tamen si nollet accedente reformatione duriora illa admittere, cogeretur aliud Monasterium, vel etiam aliam Religionem ingredi; quia propter tales non debet impediri reformatio.

4. Vt res sit grata.
 Quarta conditio est, Vt res promissa sit grata promissario: promittere enim cupiam quod ei displicet, non est promittere, sed minari.

5. Vt possit se obligare.
 Quinta est, Vt promissor possit se obligare: quidam enim per leges non possunt se promissione aut voto obligare, vel saltem non ita validè quia possit in irritum reuocari. Sed de his infra.

DUBITATIO II.

Vtrum votum cui error causam dedit, sit validum.

9 **V**ideri possit votum ex errore profectum, numquam esse validum. Primò, quia deest consensus; qui enim errat, non videtur consentire. L. Nihil consensui. 116. 7. de regulis Iuris. Secundò, quia DD. passim docent, votum non obligare ultra intentionem vouentis: ac proinde non obstringere in euentu, quem vouens excepisset, si cum voueret, ei occurrisset; sicut in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus. regul. 81. de reg. Iuris, in 6. Tertio, Votum est promissio liberalis: ergo debet omnino esse libera: ac proinde nullo modo proficisci ex errore: nam ea ex parte caret libertate.

Pro solutione notandum est, errorem posse esse vel circa aliquid extrinsecum & accidentarium rei promissæ, vt si res putetur facilior, iucundior, commodior, &c. vel circa aliquid pertinens aliquo modo ad rei substantiam. Nunc

10 Error circa extrinsecum.
 Dico Primò, Si error sit solum circa aliquid accidentarium, non tollit obligationem voti, quamuis sine illo errore non voluisses vouere. Colligitur ex dictis cap. 17. dub. 5. vbi ostensum est, errorem circa extrinsecum, iure naturæ non violare contractum. Idem docet Caietan. v. Votum. §. Ex parte, in fine. Sotus lib. 7. de Iustitia qu. 1. ar. 2. ad 1. argumentum. Nauarr. in Summa cap. 12. num. 39. & alij passim. Confit. Quia si talis error tolleret obligationem, sequerentur grauissima incommoda, vt rectè docet Caietan. loco citato. plerique enim contractus humani possent

dissolui; & pleraque professiones in irritum reuocari, plurima enim supetueniunt, vel latent, quæ si ab initio cognita fuissent, nolissent homines contrahere, aut vouere; & ita nihil in contractibus aut statibus hominum esset firmum aut stabile. Sufficit igitur ad obligationem notitia eorum quæ rei vel actui sunt intrinsecæ, & aliquo modo ad substantiam pertinent; nisi lege positua in quibusdam aliter statuatur.

Dico Secundò, Si error sit circa substantiam voti, aut aliquo modo in substantiam redundet, sitque causa vouendi, irritum reddit votum. Est communis sententia DD. Censetur autem esse circa substantiam multis modis. Primò, Si sit circa partem notabilem rei promissæ: vt si voueas peregrinationem Lauretanam, putans illam esse 10. dierum; cum sit 20. non enim intendis nisi dimidiam operis partem. Secus si error sit circa partem, quæ modica sit respectu totius; tunc enim excessus ignoratus non censetur exclusus, nisi de contraria intentione constet: vel si intendebat se absolute ad tale opus obligare, non curando quantum esset, tunc enim error non est causa voti. Secundò, cum erratur circa materiam operis; vt si voueas certum nummum, quem putas argenteum, cum sit aureus. Si voueas ingredi certum Monasterium, putans esse Ordinis S. Benedicti, cum sit Canonicorum Regularium. Si putes disciplinam esse integram, cum essentialia, aut alia principalia non seruentur. Secus si deceptio solum sit circa aliqua minutiora. ita Sotus supra. Tertio, cum erratur circa personam cui opus præstandum; vt si voueas dare eleemosynam huic, quem putas esse Titium, cum sit Caius. Quarto, cum erratur circa causam formalem; vt si voueas dare eleemosynam Titio, putans esse pauperem, cum sit diues. tunc enim non subest ratio formalis eleemosynæ, quam vouisti. Eleemosyna enim est subleuatio miseriæ paupertatis; quæ esse non potest, nisi vbi est paupertas quæ leuetur. Quintò, cum erratur circa causam finalem vouendi extrinsecam. hoc enim modo error etiam in substantiam voti redundat; quamuis non semper: verum tunc solum quando votum sit ad aliquem finem à Deo impetrandum, qui expectetur à Deo tamquam merces operis voti. vt si voueas peregrinationem pro salute patris, quem putas ægrotae; cum non ægrotes, vel iam obierit. Ratio est, quia peregrinatio non vouetur absolute, sed vt medium & veluti pretium ad impetrandam depulsionem morbi paterni. atqui reuera hinc & nunc non est medium ad illum finem, cum finis sit impossibilis. non enim potest depelli morbus qui non est. ergo est deceptio circa substantiam eius quod formaliter vouetur. medium enim accipit rationem formalem ex fine. Confirmatur, quia tale votum habet hanc tacitam conditionem, si morbo laborat; si tali bono caret, &c. Nam vouetur peregrinatio non absolute, sed cum restrictione ad talem finem. Non enim totum votum est, Voueo peregrinationem, sed, Voueo peregrinationem pro salute parentis. vbi aperte implicatur conditio votum determinans & conditionale efficiens: ergo si non extet, votum est irritum. Idem dicendum quando votum sit ad aliquem finem principalem obtinendum, & postea contigit animum mutari. vt si vouisti peregrinationem Lauretanam vt felix tibi obtingat matrimonium, & postea velis

viuere caelebs. accessorium enim sequitur suum principale. vnde cessante fine cessat votum, quod se ad illum habebat accessorie. Si autem finis expectetur non ut primum voti, sed alio modo, ut ex industria vel fauore hominum, error circa finem non reddet votum irritum: quia non redundat villo modo in substantiam voti. Neque refert vtrum sit finis principalis quem sibi vouens proponit, an secundarius, quem vocant causam impulsiuam; nam vterque est prorsus extrinsecus voto, cum non ingrediatur ipsum votum, nec illud afficiat aut restringat, ut si voueas Religionem principaliter eo fine ut peruenias ad Prælaturam, falso persuasus monachos statuisse te eligere: si voueas peregrinationem ad limina Apostolorum, falso persuasus hac ratione à Pontifice obtenturum te canonicatum: aut si id facias ut inuisas fratrem quem ignoras obiisse. Non enim consideratur quid moueat ad vouendum, sed quid absolute sciens & volens promittas. Nec refert quod ita sis affectus animo, ut si scires te decipi circa causam motiuam, nolles vouere: quia ille affectus re ipsa nihil operatur contra votum, cum conditio ad hoc requisita, nempe scientia veritatis, desit; & non obstante eo affectu habes alium affectum quo absolute vis vouere, & voues. sicut si des eleemosynā pauperi existimans esse probum, cum sit improbus; & ita sis affectus, ut si scires eius improbitatem, nolles dare; nihilominus valida est donatio, quia re ipsa das absolute ad leuandam inopiam, et si probitatis opinio te ad dandum mouerit: affectus ille non dandi ex hypothese si scires, est inefficax ob defectum conditionis, vnde nihil operatur contra votum. idque verum est non tantum de affectu habituali & implicito, sed etiam de actuali & expresso. Confirm. quia error circa accessoria & extrinseca rei promissa, non tollit consensum circa principale & substantiam. Idem tenetur in contractu matrimonij & sponsalium.

Sexto, si sit error circa vim voti. ut si persuasus sis votum non obligare nisi sub peccato veniali: aut posse à te ipso relaxari facili negotio. talis enim ignorat naturam actus quem facit. Idem dicendum si quis putaret matrimonium solubile, sicut passim soluitur apud ethnicos. debet tamen error esse causa actus: alioquin non reddet illum irritum; cum sit error speculatiuus & impertinens ad actum, qui censetur fieri absolute iuxta conditionem suæ naturæ.

12. Ex his patet, non esse constituendam differentiam in proposito inter votum simplex & solemne: quia sicut votum solemne non est irritum ratione erroris, nisi error redundet aliquo modo in substantiam voti; ita neque votum simplex est irritum, nisi error sit aliquo modo circa substantiam. Vnde si quis fraude alterius (v.g. falsis promissis) induceretur ad nuncupandum votum simplex continentie vel obedientie, non minus esset validum, quam si sic induceretur ad professionem Religionis: qui est casus cap. fin. 20. quart. 3. Similiter in casu cap. Ex parte. 9. de conuert. coniugatorum. vbi susceptio vel seu professio ex causa falsa est valida, etiam votum simplex Religionis validum esset. Idem dicendum in casu cap. Veniens 16. eodem titulo. vbi professio mariti, in quam vxor dolo inducta consenserat, iudicatur valida; etiam votum simplex Re-

ligionis & castitatis validum fuisset.

Dices Primò, Promissio homini facta non est valida, si ex errore procedat, quamuis ille error non sit contra substantiam; ut si res fiat difficilis, quæ putabatur facilis; si persona sit improba cui promissisti, cum putares esse probam: ergo idem dicendum erit de promissione facta Deo. Respond. neg. conf. promissiones enim vulgares quæ inter homines fiunt, si ex aliquo errore procedant, dicuntur inualidæ, non quod sint iure natura irrita, sed quia in irritum reuocari possunt arbitrio promittentis. ita enim vsu passim receptum est, ad vitandas multas difficultates (præterquam in quibusdam promissionibus, ut v.g. intuitu inter mercatores) ut sicut homo homini facile aliquid promittit, ita etiam facile possit reuocare, si deprehendat se ex errore aliquo promississe; vel aliquid detegatur, quod si antea nollet, non promississet. Secus est in promissionibus quæ Deo fiunt. hæc enim hoc ipso quo semel valent, statim fiunt insolubiles, ita ut non nisi superiori potestate, & iusta causa relaxari queant: sicut matrimonium si semel valeat, insolubile est. Accedit quod in promissionibus & contractibus humanis lex positua sæpè tollat obligationem, vel ius illius tollendæ & elidendæ tribuat, si ex errore procedat. L. Et eleganter. 7. de dolo. & 15. q. 6. cap. 1. de quo vide supra cap. 17. dub. 6. Id autem non facit in votis: idque merito ob reuerentiam diuini Numinis. Vnde Glossa in d. c. Ex parte, v. *Falsa sit causa*, dicit, *Dolum aduersary in spiritualibus non vitare contractum, nec considerari causam aut intentionem contrahentis*: quod maxime verum est in votis, iuramentis, matrimonij contractu, susceptione Baptismi, &c.

Dices Secundò, Qui vouit ieiunium in certam diem, aut peregrinationem ad certum locum, non tenetur, si inde notabile damnum referret, ut si valetudo læderetur; si iter latronibus sit infestum, &c. atqui hic non est error vel ignorantia circa substantiam, sed circa extrinseca, ergo, &c. Resp. Ita vota tali euentu non obligare, non quia ex errore, sed quia secundum legem prudentiæ, & ex communi hominum vsu, atque adeo ipso iure habet tacitam conditionem, *si absque notabili damno poterit*: ut patet in præceptis Ecclesiæ de simili materia. Multæ enim difficultates extrinsecus obuenire possunt, ob quas non expediat mandari executioni. Itaque ratione illarum conueniebat subesse tacitam conditionem. Difficultatum autem quæ ex intrinseca rei natura oriuntur, non ita habetur ratio, præsertim in voto rei maxima, ut castitatis & Religionis. Debuerunt enim antè esse præcogitata. vnde nec vsu, nec iure, ratione illarum subest tacita illa conditio.

Ad Primam rationem initio propositam Respond. Non deesse consensum necessarium; quia qui consentit in principale, censetur consentire in accessoria & coniuncta: qui errat, non videtur consentire, si error sit circa rei substantiam: vel certè non ita consentit, quin possit resiliire, quando contractus est solubilis.

Ad Secundam: Votum non obligat vltra intentionem vouentis; sed quando error est circa accessoria, intentio vouentis etiam ad illa se extendit saltem virtualiter, ut dictum est. Non obstringi vouentem in euentu quem excepisset, verum est, si ex vi affectus quo votum fecit, illum euen-

13
Discrimen
inter votum
& promissio-
nem ho-
mini factam.

Ad ratio-
nes.

euentum exceperit : secus si exceperit solum ex vi alterius affectus, quem actu vel habitu tunc habuit. Illa autem regula, In generali concessione, &c. intelligitur de concessione Principis vel Superioris facta inferioribus, & de iis quæ non solent generalibus vel obsecris terminis concedi, ad quæ iudicio prudentum intentio concedentis non se extendit.

Ad Tertiam : Non requiritur vt promissio liberalis sit omnino libera. potest enim fieri vt quis promittat aliquid gratis absque obligatione (quod est promittere liberaliter) & tamen id faciat ex metu vel errore aliquo. Aliud enim est liberè promittere, aliud liberaliter. quamuis eo euentu sapè possit reuocari, vt dictum est. Et quamuis qua parte est ex errore, non sit libera formaliter; tamen est libera virtualiter, ratione scientiæ circa principale.

DUBITATIO III.

*Vtrum metus votum irritum reddat,
& quo Iure.*

14 **N**Otandum est, metum alium dici grauem, vt pote grauis mali, & qui virum constantem percellat: alium leuem, qui in virum constantem non cadat; de quo vide supra cap. 17. dubit. 6. Rursus alium iustè incuti, alium iniustè. Item alium incuti ad extorquendum votum, alium ex alia causa prouenire.

Quibus positis omnes Doctores conueniunt, metum grauem iniustè incussum ad extorquendum votum, tollere voti obligationem; illudque omnino irritum reddere. Colligitur ex cap. Perlatum. 1. & cap. Abbas. 2. de his quæ vi metulve causa fiunt. Ratio est, quia in iis quæ ad statum & votorum obligationem pertinent, homo est sui iuris & arbitrij: vnde non potest ad illa cogi à causa extrinseca. Vnde regul. 116. π. de regulis Iuris dicitur: *Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus; quem comprobare, contra bonos mores est.*

Debet autem hic metus esse iniustè incussum, vt plerique DD. tradunt. Silvester v. Metus. qu. 6. Sotus lib. 7. qu. 2. a. 1. ad 1. Angelus v. Metus n. 8. & 10. & alij. Ratio est, quia hic solus censetur repugnare libertati, tamquam causa extrinsecus cogens. Quare metus iustè incussum non irritabit votum; sicut nec matrimonium aut alios contractus irritos reddit. Vnde sequitur, si maritus vxori in adulterio deprehensa priuata auctoritate mortem minetur, nisi profiteatur Religionem, professionem inde secutam fore irritam; vt pote metu iniustè irrogato extortam. Non enim poterat illam Iure priuatim occidere. Si autem minetur accusationem & mortem via Iuris, professio erit valida; quia Iure poterat id facere. Pari modo, si reo mortis detur potestas redimendi supplicij professione Religionis, vel matrimonio puella se offerentis, erit validum quod actum fuerit.

15 **A**duerte tamen, non deesse DD. qui putant metum grauem etiam iustè incussum irritam reddere professionem Religionis, & matrimonium. Ratio est, quia hæc duo requirunt summam libertatem, quæ non minus aufertur cum iustè incutitur, quam cum iniustè. Ita Couarr. in 4. p. 2. cap. 3. §. 5. num. 7. vbi citat Glossam in cap. Ve-

niens, 2. de sponsalib. & in cap. 2. de iis quæ vi, Felinum, & alios. Pro qua sententia Sanchez li. 4. disput. 13. citat Goffredum, Hostiensem, Ioannem Andream, Ancharanum, Henricum, Fortanum, & alios multos, dicitque esse probabilem. Alij existimant metum iustè intentatum irritare professionem & matrimonium, quando incutitur auctoritate priuata; non autem si incutiat a lege, vel Iudice præscriptum legis exequente: vt si lex statuat, vt violator virginis cogatur per Iudicem ad eam ducendam.

Sed verius est, quod iam diximus, metum numquam irritare votum aut matrimonium, quando malum quod proponitur, iustè inferri potest: ita ferè ceteri Doctores. Ratio est, Quia quando metus iustè irrogatur ob crimen, non tam censetur inferri ab extrinseco, quam prouenire ab intrinseco, nempe à propria voluntate, & natura delicti: & is qui votum proponit, potius aufert quam infert metum, ostendens viam euadendi mali. Id autem quod ex propria voluntate oritur, non censetur moraliter libertati repugnare. Confit. Quia talis metus non rescindit ceteros contractus, vt omnes fatentur: ergo nec votum, aut matrimonium: non enim maior libertas ad naturam professionis vel matrimonij requiritur, quam ad alios contractus; quamuis vt illa conuenienti modo fiant, maior requiratur, ob vinculi insolubilitatem, & graue onus quod secum adferunt. Hinc patet responsio ad primam partem rationis contrariæ sententiæ. Id autem quod subsumitur, falsum est, si res moraliter expendatur: nam metus iustus, cum oriatur ab intrinseco, non censetur libertati officere. De quo vide sup. c. 17. dub. 6.

Pari modo debet hic metus non solum esse incussum iniustè, sed etiam aliquo modo ad votum eliciendum, ita vt is qui metum infert, nolit defistere à malo iniustè irrogando nisi votum emitas. quod si ob aliam causam incutiat; v. g. ad vltionem iniuriæ (vt si voueas Religionem, vt Deus te liberet è manibus Tyranni, aut inimici persecutis) valet. Tunc enim votum non emittitur vt satisfiat voluntati inuoluntatis, neque in eius gratiam exhibetur; vt sit veluti pretium, quo cesset ab iniuria; sed exhibetur Deo, vt ab eo impetretur auxilium: sicut cum quis iniustè oppressus ab inimico, promittit aliquid alteri vt auxilium ferat, tenetur: secus si inimicus illum ad promittendum cogat. Ratio est, quia quando aliquis iniustè cogit promittere, promissio non est libera, nec ex spontaneo proueniens affectu, sed extorta ab extrinseco: secus verò quando quis ex se promittit, vt openi ab aliquo impetret.

Non tamen est necessarium, vt metus incutiat principaliter ad votum eliciendum, sed satis est vt incutiat iniustè, & concedatur votum ad redemptionem mali intentati, vt constat ex d. cap. Perlatum, de iis quæ vi, &c. vbi mulieri ob suspicionem adulterij intentatur mors à famulis mariti, & ex affectu misericordiæ conceditur vt redimat mortem professione Religionis; quæ tamen professio ibi declaratur irrita.

Ex dictis sequi videtur, si alius, qui metum non intulit, votum postulet, vt opem ferat; votum fore validum: vt si inimico persequente fugias ad Monasterium, & Abbas nolit concedere latebras aut asylum, nisi voueas te fore monachum: Abbas enim non infert metum; sed hic iam est illatus ab inimi-

*si iustè fo-
terat in-
ferri.*

16
*Ad votum
eliciendum.*

inimico, & ille proponit tibi rationem euadendi, spondetque opem (quam tibi ex iustitia non debet) si velis vouere; qua in re non facit tibi iniuriam. Nihilominus contraria sententia in hoc casu est etiam probabilis. Nam Abbas recusando asylum censetur metum continuare. tenebatur enim concedere, etsi non ex iustitia, ac certe lege charitatis, & quidem gratis, absque tali obligatione. Vnde iniquè recusando est causa continuationis metus; idque directè ad extorquendum votum. sicut si alicui extrema inopia confecto nolim succurrere, nisi religionem voueat, videbor metu mortis votum extorsisse. quare non obstringer.

17
Quo Iure
metus irritat
votum.

Sed difficultas est, quo Iure metus votum irritum reddat. Multi censent id fieri Iure naturali. Insinuat Sotus lib. 7. qu. 2. art. 1. Nauarr. cap. 12. num. 52. Glossa in cap. Abbas. 2. de his quæ vi. Bonauentura in 3. dist. 39. art. 3. qu. 2. vbi dicit: *Vota coacta esse irrita; quia Deus vult sacrificia non coacta, sed voluntaria.* Denique idem sentire coguntur omnes, qui tenent metum Iure naturæ irritum reddere matrimonium. vt D. Thomas, Scotus, Gabriel, Couarru. Tutrecremata, Antoninus, Richardus, & alij quos citat Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 14. Probari potest Primò, Quia nullus est canon, qui id statuat: omnes enim ita loquuntur, vt videantur supponere tale votum per se irritum esse; vt patet d. cap. Perlatum. 1. de his quæ vi, & aliis Iuribus. Secundò, Quia Deus promissionem per iniuriam extortas non acceptat, ne socius iniquorum & approbator iniuriæ esse videatur. Confirm. Quia nemo probus promissionem tali modo sibi factam acceptaret, aut aliquid ex ea Iuris prætenderet. Tertio, Quia talis promissio homini facta est irrita, vel saltem pro arbitrio promittentis reuocari potest; vt ostensum est cap. 17. dubit. 6. quia non refert à quo metus illatus sit, quando constat metu factum: ergo etiam promissio Deo facta reuocari potest ob iniuriam quæ intercessit.

Probabile
est irritare
Iure na-

Hæc sententia est satis probabilis; eaque posita sequitur, non solum metum grauem, sed etiam leuem, irritum reddere votum in foro conscientie, si per iniuriam inensus sit. Ratio est, Quia Iure naturæ non est distinctio metus grauis & leuis, si eodem modo est causa consensus: sed hoc discrimen pertinet ad forum externum; vbi eum metus est leuis, non præsumitur fuisse causa consensus, sed libertas animi: vnde non iudicatur actus inualidus. Confir. Quia metus grauis non reddit votum irritum quia grauis, (potest enim esse grauissimus, & non irritare; vt patet cum quis metu mortis in naufragio vouet; cap. Sicut nobis. 17. de Regular.) sed quia per iniuriam inensus, ad extorquendum consensum: ergo si metus leuis eodem modo sit inensus, & eodem modo impellat ad consensum, cur non similiter inualidum reddat? Hanc sententiam de leui metu expressè tenet Nauarrus, non solum de voto per talem metum extorto, sed etiam de matrimonio, in Enchirid. cap. 22. nu. 51. §. Septimum. & lib. 1. consil. tit. 39. consil. 1. num. 7. Vbi pro hac sententia citat Hostiensem, Ioannem Andream, Adrianum, & Sotum. Eandem in casu matrimonij tenet Decius in cap. vlt. de appellationibus num. 3. & sequent. & alij recentiores, quos refert Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 17. eorumque sententiam satis probabilem iudicat. Si in matrimonio

Metus le-
uis.

est probabilis, multò magis in voto & professione; quia plurimi Doctores tenent, professionem irritam reddi metu reuerentiali, non tamen matrimonium: quos citat Couarr. in 4. Decret. c. 3. §. 6. num. 7. vbi dicit hanc sententiam esse communem. Itaque metus, qui matrimonium reddit inualidum, etiam votum reddet.

Ex qua sequitur, votum & professionem solo metu reuerentiali, quo quis per pudorem & reuerentiam non audet contradicere parenti vel Superiori, etiam si aliud malum non timeat, esse inualida. Item eum, qui tali metu ordinatus fuit, non teneri voto castitatis, aut ad lectionem precum canonicarum, aut ad statum ecclesiasticum.

Contrariam tamen puto reuoluerem; nimirum metum solo Iure posituo irritum reddere votum. Verum ir-
18
Siluest. v. Metus. qu. 8. Arragon. q. 88. ar. 3. Hen-
ririq. lib. 1. de matrimonio cap. 9. nu. 1. & 3. & ferè
quotquot sentiunt matrimonium metu contra-
ctum, solo Iure posituo irritum esse.

Probatum Primò, Quia metus Iure naturæ non reddit irritos alios contractus, aut promissiones, sed solum dat potestatem irritandi propter iniuriam, quando contractus natura sua est solubilis, vt ostensum est cap. 17. dub. 6. ergo neque votum Iure naturæ inualidum reddet. Neque dici potest, ei qui sic vouit, dari potestatem irritandi, sicut in aliis contractibus: quia votum est natura sua insolubile, sicut matrimonium. quare sicut matrimonium semel validè initum non potest solui arbitrio contrahentis, etiam si dolo vel alia iniuria extortum sit, eò quod natura sua sit insolubile; ita nec votum arbitrio vouentis. Confirm. Quia per tale votum Deo ius absolutum & ab alio independens acquiritur: hoc autem ius tolli non potest, nisi per ipsius condonationem.

Secundò, Deus nullam iniuriam intulit: ergo ratione iniuriæ rescindi nequit. Nec obstat quòd iniuria illata sit à tertio, & alij contractus, si metu inensus sit à tertio, reuocari possunt: id enim prouenit vel quia illi sunt solubiles, votum verò natura sua insolubile; vel quia homines non habent ius cogendi, Deus autem per se cogere poterat: vnde mirum non est, si ipsi ius irrevocabile acquiratur per coactionem iniustam alterius. vel denique quia hæc reuerentia debetur diuinæ maiestati, vt quicquid illi quouis modo pleno iudicio promissum est; insolubiliter, nisi ipse condonauerit, seruandum sit: id enim ad honorem diuinum pertinet.

Tertio, Matrimonium metu graui extortum, solo Iure naturæ spectato, est validum, secundum reuoluerem sententiam; nec propria auctoritate solui potest; similiter & iuramentum: ergo etiam votum simili metu expressum, eodem Iure validum erit.

Hinc sequitur, cum Ecclesia id solum statuerit de metu graui, metum leuem non irritare; nec tribuere potestatem irritandi: quamuis in aliis contractibus sufficiens sit, vt metum passus, in foro conscientie non obligetur, & metum infertens ad restitutionem teneatur, vt dictum est capite 17. dub. 6.

Quòd solum metus grauis hoc faciat, colligitur ex cap. 1. de his quæ vi; vbi requiritur metus mortis, vt professio censetur irrita. Sub metu mortis, intellige quemuis alium grauem: fit enim ibi solum mentio metus mortis, quia species facti aliud non

non

non postulabat. Et cap. Cùm dilectus. 6. eodem requiritur *merus cadens in constantem virum.* cap. final. Qui clerici vel vouentes, &c. insinuat *imperium parentum non sufficere vt votum sit irritum.* Idem dicit Glossa ibidem de *imperio regio.* quia et si hæc metum aliquem cauent, non tamen grauem. Hoc intelligendum de simplici imperio, cùm nihil aliud mali timetur, quàm breuis aliqua offensio, vt colligitur ex eodem cap. alioquin si timeatur perpetua offensio, vel mala tractatio, vel simul adsint preces importuna, sufficere tale imperium ad votum irritandum; quia gignet metum grauem. Sic intellige cap. 8. Puella 20. qu. 1. *Puella, quæ non coacta parentum imperio habitum suscepit, si postea nuptias elegerint, præuaricantur.* vbi à contrario sensu insinuat non præuaricari, si coacta parentum imperio fecerint.

19
Ad rationes.

Ad Primam rationem pro diuersa sententia: Nullus Canon id expressè statuit; quia fortè intercedit, vel numquam scripto editus est, sed sola consuetudine seruatus. sicut etiam nullus canon extat, qui matrimonium metu contractum statuat esse irritum; cùm tamen probabilius sit hoc esse ex decreto Ecclesiæ. Idem dicendum de matrimonio fidelis cum infideli: de quo etiam non est dubitandum quin Ecclesiæ statuerit vt sit irritum; quamuis Canon non reperitur.

Ad Secundam: Non idèò Deus censetur approbare iniuriam, quia acceptat tale votum; sicut nec approbat, dum acceptat iuramentum sic extortum.

Ad Tertiam, patet ex dictis.

Aduerte tamen, æquitatem naturalem postulare, vt huiusmodi vota facilè per Prelatos Ecclesiæ, nomine Dei, relaxentur: quamuis ob reuerentiam diuinæ Maiestatis, seposito Ecclesiæ decreto, solui non possint propria auctoritate. posito tamen Ecclesiæ statuto, quo talia vota reddit irrita, Deus illa non acceptat; & sic nullam obligationem inducunt.

DUBITATIO IV.

Vtrum propositum aliquando habeat vim voti.

20
Propositum persequendum.

Pludanus in 4. d. 38. quæst. 1. conclus. 3. dicit *propositum æquipollere voto simplici in vno casu, nempe quando quis intrat Religionem cum proposito perseuerandi, & Deo perpetuò famulandi.* Idem tenet D. Antoninus 2. par. titul. 11. cap. 2. in principio. In eadem sententia sunt ferè omnes Canonistæ: ex quibus plerique putant tale propositum cum susceptione habitus habere vim voti solemnis, vt refert Siluest. v. Religio 1. q. 8. & D. Antoninus supra.

Probatur Primò, Ex cap. Statuimus, 23. de Regularibus, vbi Gregorius IX. ait, *Novitios posse liberè ad priorem statum intra annum redire, nisi emitteter appareant, quod tales absolute voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino seruire.* & cap. Consulti. 20. eodem titulo Innoc. III. consultus sic respondet: *Licet super hoc senserint diuersi diuersa; nos tamen credimus distinguendum, Vtrum is qui conuertitur, proposuerit absolute vitam mutare, vt sic in habitu regulari omnipotenti Deo de cetero famuletur; An conditionaliter experiri obseruantiam regularem, vt ita demum si intra annum de*

placuerit, proficiatur Ordinis disciplinam, aut fortè si non placuerit, moribus emendatis ad statum reuertatur pristinum. In primo casu debet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem regulam pertransire.

Secundò, Qui contra propositum tale facit, inconstans est in re magni momenti: ergo peccat, ac proinde tenebatur in proposito perseuerare.

Tertiò, Quòd habeat vim voti solemnis, probari videtur ex cap. Beneficium, de Regul. in Sexto, vbi dicitur, Beneficium eius, qui ingressus est annum probationis, posse alteri dari, *si constet, absolute voluisse vitam mutare:* at non daretur alteri, nisi ipse putaretur professus.

Verùm contraria sententia, scilicet non sufficere propositum, sed requiri vterius promissionem, est ferè communis Theologorum, eamque tenet D. Thomas hoc loco art. 1. Bonauent. in 4. d. 38. art. 1. q. 1. Richardus eadem dist. qu. 3. circa tertium princip. Abbas in cap. Litteraturam, de voto & voti redempt. Angelus, Votum 1. qu. 7. Siluester, Votum 1. q. 2. & Religio 5. q. 8. Nauarr. cap. 12. n. 26. & passim recentiores.

21
Præter propositum requiritur promissionem.

Probatur Primò, Ex Scripturis, quæ apertè indicant, obligationem votorum, nasci ex promissione, Deut. 23. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. si nolueris polliceri, absque peccato eris.* Et infra: *Facies sicut promisisti.* Eccles. 5. *Si quid uouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* nusquam dicit propositum obligare, sed promissionem.

Secundò, Probatur ex cap. Litteraturam, vbi dicitur, *eum, qui ultra propositum mutande uitæ non est progressus in voto, non teneri.*

Tertiò, Votum importat quamdam obligationem sui erga alterum: atqui homo non solet se alteri obligare solo proposito, sed promissione: nisi enim ad propositum accesserit promissio, non putat se alteri obstrictum. Confirm. Quia sicut imperando obligat quis alterum sibi, & ordinat quid ab ipso erga se fieri velit; ita promittendo obligat se etiam alterum, & indicat quid à se alteri fieri velit.

Quartò, Nemo seipsum obligat nisi intendat seipsum obligare: quamuis nec intentio sufficiat: atqui solo proposito faciendi aliquid non me intendo obligare: ergo non habet vim voti.

Quintò, Quia Concilium Tridentinum sessione 25. cap. 15. & 16. concedit nouitiis annum probationis, & toto illo tempore vult illos manere liberos, vt si putent disciplinam sibi non conuenire, liberè possint egredi: ergo solo proposito non censet hominem astringi.

Ad Primum Respondeo, Illos Canones intelligendos de proposito, quod sit animo vouendi, & se obligandi; etiam si exterius verbis vel nullis, vel nullam voti speciem præ se ferentibus fuerit expressum: vt cum quis dicit, Domine, ego hinc perpetuò volo tibi seruire, intendens se Deo obligare. Colligi id potest ex illa distinctione, quæ habetur dicto cap. Consulti: nisi enim quis hoc modo proposuerit vt simul tacite vouerit, non videtur omnino absolute proposuisse; quia aliàs semper est aliqua saltem tacita conditio, nempe nisi animum mutare contigerit. Alij respondent (& eodem recidit) agi de proposito, quod promissione seu voto firmatum est.

22
Ad argumenta Intellectus Canonum.

Propositum intentione vouendi expressum.

Dicit etiam potest, Olim ex vsu Ecclesiæ susceptionem habitus cum absoluto proposito mutanda

Aprior responso.

tandæ vitæ factam, habuisse vim voti simplicis. Dupliciter enim habitus suscipiebatur. Primò, Animo experiendi; & tunc liberè poterat resilire. Secundò, Non animo experiendi, sed perpetuò manendi; & tunc censetur se tacitè obstringere saltem voto simplici. tale enim votum isti susceptioni habitus erat annexum: vnde non poterat redire ad sæculum, sed tenebatur regulariter vivere; ita tamen vt possèt transire ad regulam laxiorem, vt colligitur ex cap. Consulti. Postea tamen ille mos est abolicus, & Canones vtrisque vsque ad professionem liberum esse voluerunt, nisi votum expressum interuenisset; vt patet cap. Litteraturam. 3. de Voto. & cap. Qui post votum. 5. eodem, in 6. Habuisse id vim voti simplicis tantum, non autem professionis, vt plurimi DD. Canonum tenuere, docet egregiè Panor. in d. cap. Consulti. 22. de Regular. numer. 3. citans pro eadem sententia Cardinalem Zabarell.

*Inconstan-
tia.*

Ad Secundum Respondeo, Esse aliquam inconstantiam, si absque vlla causa, sola animi leuitate propositum mutet: sed hæc inconstantia non est nisi venialis. Si autem aliqua ratione nitaris, vt quia fentis incommoda, &c. non est propriè inconstantia, nec vllum peccatum: nemo enim tenetur persistere in bono, quantumuis illud magnum sit, ex solo proposito; sed vt teneatur, debet aliunde ad illud esse adstrictus; v.g. præcepto, promissione, contractu. vide infra libro 3. cap. 6. dub. 6.

23 Ad Tertium, Ex eodem illo cap. colligi potest, illud propositum in Nouitio non habere vim professionis; quia distinguitur à professione tacita & expressa; sic enim ait Pontifex: *Beneficium Nouitij intra annum probationis nõ esse alteri conferendum, nisi ipsi accedat assensus, aut cõset quod vitam voluerit absolute mutare, vel professionem expressam fecerit, vel scienter habitum receperit professorum.* Vnde dico cum Panormitano in e. Litteraturam, ibi agi de proposito, quod voto simplici firmatum est, vel cum susceptione habitus habet vim voti simplicis, vt dictum est. qui enim cum tali proposito habitum suscipit, cum tacito voto se obstringat, videtur beneficio renuntiare: & ita permittit Pontifex vt alteri confetatur.

24
*Mutatio
boni pro-
positi.*

Obiici etiam potest cap. 4. Qui bona. 17. qu. 1. vbi dicitur, *Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt; licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione.*

Respondeo, Inde non sequi, propositum melioris boni habere vim voti, sed vt summum inducere aliquam obligationem, etsi non grauem: non enim qui tale propositum deserit, idcirco dicitur cadere coram oculis Dei, quod peccet mortiferè, nam etiam qui venialiter peccat, cadere dicitur, iuxta illud, *Septies in die cadit iustus: & iustus si ceciderit, non collidetur.* Addo etiam, dici cadere vel retrocadere (de quo ibi propriè agitur) qui perfectiora exercitia deserit, quamuis id sine peccato faciat, vnde ex illo loco non potest colligi in ea re commissum esse vel peccatum veniale. vide Gregorium Homilia 3. in Ezech. sub finem, vbi paulò aliter habetur quàm hic à Gratiano refertur, nec dicit Gregorius tales cadere absolute, sed cadere in deliberatione. Hic, inquit, ante iudicia humana stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione: nimirum quia

recesserunt animo à perfectioribus, quæ proposuerant: qui excessus absque peccato fieri potest, quando aliqua causa subest.

Ex dictis patet, cum multa in voto reperiantur, videlicet deliberatio, propositum boni operis, propositum vouendi, promissio, obligatio, solam promissionem esse votum; propositum & deliberationem esse quid præuium; obligationem, effectum.

*Multa in
voto con-
sistunt.*

DUBITATIO V.

Cuius virtutis actus sit votum.

D. Thomas art. 5.

Ratio dubitandi est, quia fiunt etiam vota Sanctis, quorum cultus non procedit à virtute religionis, sed dulia vel obleruantia. Deinde votum est promissio quædam: promissio autem vel est gratuita vel remuneratoria. promissio gratuita est actus liberalitatis, remuneratoria verò est actus gratitudinis.

25

Respondeo, & Dico Primò, Votum esse actum religionis, quando fit Deo. Probatur, Quia non promittimus aliquid Deo, vt ipsi inde aliqua utilitas proueniat, sicut promittimus homini: sed vt ipsum honoremus, & vt nos ipsos reuerentiã Dei in bono firmemus, vtrumque autem ad religionis virtutem pertinet. Confir. Quia omnis laus, quæ est in actu vouendi, ex hisce duabus causis pendet: idè enim laudabile est vouere, quia laudabile est Deum honorare, & eius reuerentiã se in bono proposito firmare.

*Est actus
religionis
ob duas
causas.*

Sed obscurum est quomodo Deus voto honoratur, præsertim si id quod vouetur, non sit cultus aliquis, v.g. sacrificium, hymnus, &c. sed aliquid ad alias virtutes pertinens, vt paupertas, castitas, obedientia, ieiunium, & similia, quæ nullum cultum præ se ferunt.

*Quo modo
Deus hono-
retur voto.*

Respond. Honoratur Deus ipso actu vouendi, Primò, Quia vouens, suo facto significat, ipsum habere cognitionem & prouidentiam rerum humanarum. Secundò, Testatur ipsum esse ad quem in angustiis sit confugiendum, & qui solus possit opem ferre. Tertio, Quia vouens, illa ipsa re quam vouet, intendit illum honorare, & gratum obsequium exhibere: etsi enim illa res non sit naturã suã cultus aliquis, strictè accepto hoc nomine; eò quòd per se non significet diuinam excellentiam, & nostram subiectionem; tamen in cultum assumi à nobis potest: nam possumus eo animo facere, vt testem nostram seruitutem & diuinum principatum. Sic ieiunium etsi nullum cultum præ se ferat, tamen assumi potest ad honorandum Deum vel Sanctum aliquem, & ab omnibus gentibus in hunc finem usurpatur. Idem dicendum de paupertate, castitate, & obedientia: quidquid enim scitur esse gratum Numini, potest fieri ad eius honorem, & ad suam testandam seruitutem. nam etsi facere aliquid præcisè quia gratum alteri, potius sit benevolentia quam honoris: tamen si facis hoc totum vt sic declares tuum obsequium & affectum seruitutis erga alterum, est honor & cultus. Vnde olim virgines Vestales in honorem Vestæ seruabant virginitatem; idque ea mente factum, erat idololatria. Quarto, Quia vouens intendit se reuerentiã Dei in bono proposito confirmare. Inter ceteras enim causas idèo vouemus

26

Deo

Deo paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam, ut memores cui promiserimus, eius reuerentiā non deflectamus à proposito. continere autem se in bono reuerentiā Dei, est religionis: eiusdem enim virtutis est, facere aliquid affectu honorandi alterius, vel solvendi promissi, & abstinere à contrario, timore inhonorandi vel promissi violandi. quare cum illud sit ex virtute religionis, etiam hoc ex eadem virtute procedit.

27 Dico Secundò, Etiam quando votum fit Sanctis, est actus religionis.

Dupliciter
vota San-
ctis sunt.

Vbi Nota, dupliciter intelligi posse vota fieri Sanctis, vel Prælati. Primò, Quia fiunt coram ipsis vel tamquam patronis, quibus cupimus ea cordi esse, ut gratiam ad exequenda promissa nobis impetrent. Sic intelligi potest formula illa multis Religionibus visitata, *Promitto Deo, B. Virgini, B. Augustino, vel B. Francisco paupertati, &c.* Hoc etiam modo est actus religionis, quia principaliter ad Deum dirigitur. quamvis qua parte etiam Sancti honorantur, possit esse actus obseruantie, seu dulciæ supernaturalis.

Secundò, Ut promissio ipsis facta cadat sub votum materialiter; ita ut voueamus Deo, nos præstituros quod Sanctis vel Prælati promissimus. Ita D. Thomas art. 5. ad 3. Sic intelligendum votum, quo Prælato vouemus obedientiam: per illud enim vouemus Deo nos id præstituros, quod Prælato promittimus. vnde tale votum respectu Prælati non habet rationem voti, sed nudæ promissionis, quæ inducit erga illum obligationem fidelitatis; respectu autem Dei habet rationem voti. Simili modo accipiendum videtur votum, quo calicem vel statuum vouemus B. Virgini, B. Benedicto, vel alteri Sanctòrum: cenlemur enim vouere Deo (quem in Sanctis agnoscimus) nos præstituros quod ipsis promittimus. itaque respectu Dei est votum; respectu Sanctòrum promissio honoraria, pertinens ad cultum dulciæ. Sic cum quis vouet Deo, B. Virgini, B. Francisco, &c. paupertatem, castitatem, obedientiam; respectu Dei propriè est votum, respectu Sanctòrum potest esse honoraria promissio.

Possit addi tertius modus, ut dicantur fieri Sanctis, quia fiunt Deo in Sanctis: sed hic modus non differt à secundo.

28 Petes, Cuius potentie actus est votum?

Est opus
intellectus
præctici.

Respondeo, Esse actum intellectus præctici, ut rectè D. Thomas art. 1. quia est locutio quædam præctica, qua quis seipsum alteri obligat. sicut enim præceptum & oratio sunt locutiones quædam; quibus alterum obligamus, vel mouemus ad aliquid; ita votum est locutio quædam interna vel externa, qua nos ipsos obligamus alteri. Confir. Quia votum est promissio quædam: at qui promissio non est solum volitio se obligandi, aut iudicium, sed locutio præctica. cuius signum est, quòd quantumvis velit aliquis se obligare, & iudicet id expedire, non tamen obligetur quædam in his actibus sistit: sed oportet ut vltèrius locutione quædam in alterum directa promittat. Hæc tamen locutio supponit voluntatem se obligandi, estque veluti instrumentum voluntatis, sine quo non potest sibi obligationem imponere; sicut nec alteri absque præcepto. Simili modo non potest alteri aliquid donare absque locutione, vel simili signo præctico.

DUBITATIO VI.

De diuisione votorum.

Multa reperuntur diuisiones voti apud Doctores.

Primò, Diuidunt in votum commune, & singulare. Ita Magister in 4. d. 38. D. Thomas, Durandus, Richardus, & alij, eadem distinctione.

Votum commune vocant actum illum, quo quis in Baptismo profiteretur se renuntiare satanæ, & adherere Christo: hic enim est omnibus communis; & quia est de rebus necessariis ad salutem, vocant etiam votum necessitatis. sed hic actus reuera non est propriè votum, ut iidem docent, & benè ostendit Caiet. art. 2. tum quia in verbis hominis baptizandi nulla continetur promissio; solum enim dicit, *abrenuntio, credo, volo*. tum quia alioquin omne peccatum Christiani esset facilegium, & duplicem malitiæ seu peccati speciem contineret; quòd est contra communem hominum sensum. Denique verum votum de talibus rebus ne in Sacramento quidem penitentiae exigendum est; esset enim penitenti nouus laqueus; & causa grauioris lapsus absque necessitate. multò igitur minùs exigendum in Baptismo.

Vocatur tamen interdum à Patribus & Doctoribus *votum, sponsio, promissio*; quia speciem promissionis habet. dum enim petitur à baptizando, *Abrenuntias satanæ, & omnibus operibus eius; & omnibus pompis eius?* respondet, *Abrenuntio*: vbi videtur promittere; verum quia non intendit sibi nouam obligationem imponere, sed solum declarat se acceptare eam, quæ iure diuino inest, non est propriè votum aut promissio. Sic dum rogamus penitentem an promittat emendationem, non exigimus votum, sed simplicem promissionis formam, (quæ non inducit nouum vinculum, saltem sub mortali obligans) ut eo modo firmius propositum concipiat, & meliùs declarat se acceptare, sibi que cordi fore obligationem, quæ antè inerat.

Votum singulare vocant, quòd quisque pro suo arbitratu de rebus non necessariis concipit: vnde etiam dicitur votum voluntatis. quamuis reuera hoc genus voti etiam ad res præceptas pertinere possit, quatenus nostro arbitrio subsunt, ut dictum est.

Secundò, Diuiditur votum in *conditionale, & absolutum*. Differunt autem hæc vota tripliciter. Primò, quòd votum conditionale constet particulâ, vel æquipollente, quæ habet vim conditionis, sed temporis; & idem valet, quòd *quando*; ut cum quis ita vouet, *Voueo me relicturnum sæculum, si mater obierit*.

Secundò, Votum conditionale suspendit obligationem exequendi voti vsque ad euentum conditionis; quæ si non euenerit, penitus euanescit, parit tamen statim obligationem expectandi euentum conditionis, (sicut omnes alij contractus conditionales) à qua inuita parte non potes liberari. Votum absolutum non suspendit, sed statim omnem suam obligationem imponit: quamuis interdum executionem ipsam in diem certum vel incertum differat: ut, *Voueo me Religionem ingressurum, cum mater obierit*.

Z z

Tertio,

Sponsio quæ
fit in Ba-
ptismo, non
est verum
votum.

30
2. In condi-
tionale &
absolutum.
Discrimen
inter hæc
vota.

Tertiò, In voto conditionali affectus vouentis non fertur directè in ipsum votum, sed in id quod mediante voto cupit obtinere, vel quod timore obligationis voti cupit vitare. In voto absoluto affectus directè fertur in ipsum votum, etiam si fortè ex alia causa ad illud emittendū moueatur.

Votum conditionale aliud est simpliciter *conditionale*, aliud *pœnale*. *Pœnale* est, quando quis vouet aliquid in pœnam delicti, si fortè in illud inciderit, vt timore oneris voti diligentius sibi caueat. quod potest fieri bifariam; Primò, Si solum voueas pœnam delicti, non autem euitationem; vt, Voueo me daturum eleëmofynam, vel ingressurum Religionem, &c. si inebriatus fuero. & hoc est simplex votum pœnale. vnde talis non peccabit contra votum per ebrietatem; sed purificabitur conditio, & absolute ex voto tenebitur ad pœnam, quam si non præstiterit, tum demum votum violabit. Secundò, Si non solum voueat pœnam in euentum delicti, sed etiam cautionem delicti; vt, Voueo non amplius inebriari, alioquin dabo largam eleëmofynam. hoc votum non est simplex, sed duplex: quia duo vota continet, alterum absolutum de non inebriando; alterum conditionale, de eroganda eleëmofyna. vnde si te inebries, peccabis contra votum absolutum, & purificabitur conditio voti pœnalis.

Votum simplex *conditionale* est, quod non fit sub conditione delicti futuri veluti in pœnam, sed sub alia; v. g. sub conditione mali alicuius diuina ope vitandi, quasi per modum contractus: vt, Voueo Religionis ingressum, si isto morbo curatus fuero. quamuis hoc votum possit accipi tamquam absolutum, si directè ex affectu Religionis sic voueas; & tunc illud si designabit tempus, non conditionem: quo modo sæpè accipi solet, dum dicimus, Voueo ingredi Religionem, si vxor vel mater obierit, &c.

31
3. In simplex & solemne.

Tertiò, In *simplex & solemne*. *Solemne* vocatur, quod susceptioni status immutabilis coniunctum est. quale est illud, quod annexum est ex Ecclesiæ decreto susceptioni Ordinis sacri, per quem immutabiliter dedicatur quis statui ecclesiastico; & illud, quod continetur professione Religionis approbatæ. Ita habetur cap. vnico, de voto & voti redemptione, in Sexto. hæc enim duo, Ordo sacer, & professio Religionis, sunt solemnes quidam actus, à quibus votum solemne dicitur; & certam quamdam vim seu qualitatem ex decreto Ecclesiæ obtinet; nempe quod votum castitatis irritum reddat matrimonium, si attentetur; pauperatis, incapacem faciat dominij; vt infra dicitur cap. 41. dubit. 8. denique quod ægerimè possint laxari.

Simplex est omne aliud votum, etiam si perpetuum sit; quale est etiam professio Religionis non approbatæ.

32
4. In expressum & tacitum.

Quartò diuiditur in *expressum & tacitum*. *Expressum* est, quod verbis dilertis exprimitur. *Tacitum* est, quod censetur fieri eo ipso, quo voluntariè aliquid agitur, cui ipsum connexum est, vel supponitur. tale est quod fit susceptione Ordinis sacri; & gestatione habitus professorum expleto anno probationis; de quo infra capite proximo, dubit. 7.

5. In personale, reale, mixtum.

Quintò diuiditur in *personale, reale, & mixtum*. *Personale* est, vbi promittitur quod personam solam attingit, vt actio aliqua vel omisio.

Reale, quo res aliqua externa promittitur. *Mixtum*, quo vtrumque, v. g. peregrinatio cum obligatione.

Sextò, In *perpetuum & temporale*. Vbi aduerte, in quibusdam pijs Congregationibus emitti votum castitatis & obedientiæ, appellatum perpetuum; non quòd absolute perpetuum sit; sed quia tale est pro tempore, quò in illa Congregatione manserint. vnde tale votum non eget dispensatione; nam hoc ipso, quo egrediuntur, cessat. Vide de his diuisionibus Siluestrum, *Votum* 1. q. 3. Angelum v. *Votum* 1. q. 8. alios.

DUBITATIO VII.

Quænam cadant sub votum.

D. Thomas art. 2.

Respondeo, Vt aliquid sub votum cadat, tria requiri. Primò, Vt sit in nostra potestate. Secundò, Vt sit bonum. Tertiò, Vt sit melius quàm oppositum.

Primò debet esse in nostra potestate: stultè enim quis promittit alteri, quod in eius potestate non est vt fiat vel non fiat; vt si quis voueat se moriturum, aut non moriturum. Hinc fit vt votum de numquam peccando venialiter, non valeat; quia cum auxilio ordinario non est in nostra potestate, omne peccatum veniale vitare. si tamen intenderes te obligare ad vitanda omnia non absolute, sed quantum diuina gratia consequi posses, & humana infirmitas permittit, eatenus esset validum. sicut dum quis vouet ieiunare totum annum; teneatur omnibus diebus, quibus potest, etiam si totum annum explere nequeat. Valet tamen votum de non peccando mortiferè; quia cum auxilio diuino possumus omne peccatum mortiferum per totam vitam cauere. Ob eandem causam valet votum de non mentiendo iocose, de cauenda distractione voluntaria, & similibus, quæ auxilio diuino cauci possunt: quamuis ob rei difficultatem & periculum expediret huiusmodi vota commutari.

Petes, Quando votum non potest integrè impleri, vtrum teneat ad partem quæ potest impleri? Respondeo, Non semper teneris ad partem, sed solum in duobus euentibus. Prior est, quando animus fuit obligandi ad partem, in euentum quo non posses præstare totum. Votum enim obligat secundum intentionem vouentis; vt si voueris extruere templum, eo animo vt si non posses totum, saltem te obstringeres ad partem prout facultates ferrent. Secundò, si dubium sit de animo, consideranda est conditio rei, ad quam te obligasti. In dubio enim interpretanda est obligatio iuxta conditionem obiecti. Non enim potest esse certior regula, vbi non constat de animo vouentis. Itaque si res est talis, vt obligatio ad illam more recepto soleat diuidi, teneris ad partem: si autem non solet diuidi, non teneris ad partem, nisi possis præstare totum, vt si vouisti ieiunium per totum annum, etiam si non possis nisi tertia parte anni, tamen teneris pro illa parte; quia hæc obligatio solet diuidi, tamquam ad diuersa opera per te completa, vt patet in obligatione ieiunij quadagesimalis imposita ab Ecclesia. Si vouisti ieiunare certo die, & nunc non potes abstinerere à carnibus, vel à ientaculo, non teneris etiam

etiam abstinere à cœna; quia hæ obligationes in ieiunio sunt connexæ, nec solent separari. Si vouisti recitare Preces canonicas die Dominico, et si tunc non possis totum ob febrim vel profectio- nem, teneris tamen ad partem, quam commodè potes: quia obligatio est diuidua: sic enim obli- gat Ecclesia. Secus tamen in Officio Defunctorum, & Psalmis Pœnitentialibus, vt notat San- cius lib. 9. de matrimonio disput. 35. Si vouisti extruere templum vel Monasterium, & postea deprehendas te non posse id integrè præstare ob damna rerum tuarum, vel alia de causa, non teneris ad partem; quia est obligatio vnus operis perfecti, quæ non solet diuidi. ita Sancius supra. Hæc intellige, quando dubius est animus; nam si constet de animo, is exequendus est. Si proba- biles in vtramque partem habes rationes, potes te conformare vtrilibet parti. Prædicta doctrina applicari etiam potest illis votis in quibus apponitur aliqua circumstantia, vel clausula mala, in- differens aut impossibilis. Si enim animus fuit ita adherere illi circumstantiæ, vt sine ea non vo- lueris te obligare, votum est irritum: si autem non constet de animo, nec probabilis de eo sit coniec- tura, præsumitur non voluisse inhaerere, vt pote circumstantiæ inutili, & alienæ ab obiecto voti. & sic locum habet illa regula Iuris 37. *Vtile non debet per inutile viciari.*

35
2. Vt sit opus bonum.
Secundò, Debet esse *opus bonum*: nemo enim aliquid promittit alteri nisi quod ei gratum est: Deo autem nihil gratum, nisi quod bonum est seu honestum. Per *opus* intelligo etiam operis ab- stinentiam; vt ieiunium, paupertatem, castitatem, in quibus abstinencia aliquorum operum vouetur. res enim externæ non cadunt sub votum, nisi quatenus subsunt liberis actionibus vel omisso- nibus nostris. Itaque votum immediatè est de æ- ctionibus vel omissionibus nostris.

1. Consecr. de opere malo. Votum Iephre.

Hinc sequitur Primò, Opus quod ex se malum est, non esse materiam voti, vt sacrificare homi- nem: tale fuit votum Iephre, saltem implicite; dum vouit offerre in holocaustum, quidquid primùm ei fieret obuiam reuertenti à victoria, vt ha- beretur Iudicum 11. nam vi illius voti filiam obtulit in sacrificium, vt communiter docent Pa- tres. quamuis Lyranus & quidam recentiores ve- lint non obtulisse occasione corporali, sed ciuili dumtaxat, eam ab hominum commercio seclu- dendo. Idem dicendum de operibus, quæ ex ali- qua circumstantia ita mala sunt, vt ea exequi sicut in voto proponuntur, sit peccatum: vt si voueas eleëmofynam ad obtinendam vindictam; petere enim à Deo auxilium ad priuatam vindictam, est peccatum: item dare eleëmofynam ob illum fini- nem; est enim Deum facere fautorem & opitu- latorem iniquitatis. eadem est ratio si quis in gra- tiarum actionem pro huiusmodi vindicta obren- ta, vel sub conditione illius obtinendæ aliquid Deo voueat, nam non solum ipso actu vouendi, sed etiam solutione significat Deum esse adiuto- rem operum iniquorum.

Simili modo si voueas dare eleëmofynam ob vanam gloriam, irritum est votum; quia dare ob hunc finem, malum est. secus verò si voueas ali- quid quod non sit peccatum, eo modo, quo in- tendis illud exequi: quamuis enim ex prauo fine te ad illud vouendum applices, vt ita ipsum vo- tum sit peccatum ex fine illo extrinseco; tamen

validum erit votum. vt si quis ex ambitione seu cupiditate Prælatuæ voueat Religionem; vel ex affectu vanæ gloriæ voueat adificare templum, Monasterium: vouit enim illa facere absolutè, non autem facere ob prauum finem; quamuis ex affectu prauo finis motus fuerit ad hæc absolutè volenda & vouenda. etsi enim actus vouendi sit peccatum propter finem prauum, executio tamen voti non est peccatum.

Vt hæc meliùs intelligantur, Notandum est, 36
diobus modis fieri posse vt quis voueat opus bo- *Dupliciter voueri potest bonum opus ob malum finem.*
nam ob malum finem. Primò, Si ita voueat, vt prauus ille finis sit non solum finis voti, sed etiam operis quod vouetur; & tunc votum est ir- ritum: vt si voueas eleëmofynam ad obtinendam vindictam, aut illicitos amores. opus enim, quod vouetur, nempe datio eleëmofynæ, proponitur exequendum ob prauum finem, nempe ad peten- dam à Deo opem ad malum; quæ petitio pecca- tum est, & blasphemiam continet. Idem dicen- dum; si voueas sub conditione mali finis obti- nendi, vel in gratiarum actionem pro obtento, vt dictum est. Secundò, Si ita voueas, vt malus ille finis solum sit finis voti, vel potius applicationis voluntatis ad vouendum: vt si profitearis in Re- ligione vt lautè viuas: lautè enim viuere non est finis castitatis, paupertatis & obedientiæ, vt in voto proponitur; (non enim voues te hæc serua- rum ad illum finem, sed absolutè) verùm est fi- nis, cur hic & nunc applices te ad actum vouen- di & profitendi: sicut diuitiæ puella & forma sunt finis cur te applices ad matrimonium. vnde huiusmodi professio est quidem peccatum, non tamen est irrita: etsi enim fiat ex causa impulsua praua, tamen id quod vouetur, absolutè est bonum, & executio sancta. Caietanus artic. 2. quæst. 88. distinguit hos duos modos in tres; sed si quis benè aduertat, primus & tertius eius modus non distinguuntur, quantum ad præsens negotium.

Ex dictis patet, quid dicendum sit de quibus- dam votis habentibus turpem conditionem: si enim opus bonum vouetur tanquam medium ab obtinendum à Deo malum finem, vel in gra- tiarum actionem pro tali fine obtento, votum erit irritum; nam executio praua est, & blasphe- miam continens. si autem voueatur non vt me- dium, sed vt quiddam, quod certo euentu malo posito sit consecuturum; sic erit validum; vt, Si in duello inimicum occidero, voueo me ingres- surum Religionem. non solent tamen homines sic vouere, vt rectè ait Caietanus: sæpè tamen sic vouemus in pœnam prauo operis; vt, Si for- nicatus fuero, voueo me ingressurum Religio- nem: quod votum est ratum, & posita conditione transit in absolutum.

Quòd si finis non prauus, etsi coniunctus 38
operi prauo, votum erit validum; etiamsi voueas opus bonum tanquam medium ad illum finem impetrandum: vt si voueas eleëmofynam te datu- rum, si ex concubina prolem susceperis, vel si ex duello saluus euaseris: etsi enim malum sit forni- cari, & duellum inire; tamen supposita voluntate hæc faciendi, non est malum petere à Deo pro- lem, & salutem: vnde nec votum eo fine suscipere.

Petes, Quale peccatum sit vouere opus malum.

Respondeo, Si illud opus sit peccatum mor- tale, votum illius erit mortiferum, idque duplici- 39
tate, votum illius erit mortiferum, idque duplici-
tate, ratio peccatum.

ratione; tum propter affectum illius operis, tum ob irreuerentiam seu contumeliam, quæ per tale votum Deo irrogatur. Si opus sit veniale tantum, multi Doctores sentiunt, votum illius esse solum veniale. Ita Siluest. v. Iuramentum 2. q. 7. Sotus lib. 7. de Iustitia q. 1. art. 3. Nauar. cap. 12. num. 33. Primò, Quia materia paruitas videtur excusare. Secundò, Quia impletionalis voti solum venialis est.

Videtur
peccatum
mortale.

Sed contrarium videtur mihi verius cum Caietano in Summa v. Voti materia. si enim scias esse peccatum, & Deo id voueas, est grauis irreuerentia: nam vel est irritio quadam; vt si promittas alicui tamquam gratum, quod scis esse ingratum: vel implicita blasphemia; quia dum serio promittis Deo, quod scis esse malum, insinuas Deo placere peccatum, eoque coli & honorari. Similis irreuerentia erit, si eodem animo impleas. Confirmatur; Malach. 1. grauitè reprehenduntur qui victimam claudam, cæcam, vel alio defectu notabilem offerebant: quantum magis reprehensibilis esset, qui opus malum illi offerret? Idem dicendum de voto contra consilia: si tamen non voueas vt Deo gratum, sed solum vt te confirmes, sicut fit interdum absque plena mali animaduersione; sic erit solum veniale; vt si dicas, Voueo Deo me numquam te allocuturum, me numquam hanc domum ingressurum. Pari modo solum veniale est si quis huiusmodi propositum iuramento confirmet, vt infra dicemus.

40
2. Confess.
de opere in-
differente.

Sequitur Secundò, Opus indifferens, id est, quod neque habet rationem honesti, nec prauum, non cadere sub votum: quia Deo non magis est acceptum illud fieri, quam omitti. v. g. vouisti Deo te numquam ingressurum domum Petri, eò quòd ibi suppetant occasiones peccandi, votum est ratum, quamdiu illæ durant; quia tamdiu abstinere domo illa est honestum & Deo gratum. sublatis occasionibus mali, desinit obligatio voti; quia tunc abstinere cæpit esse res adiaphora; quia ratio abstinendi sublata est. si postea rursus incipiat esse bonum, ratione illa priore reuiuifcente, rursus incipiet obligatio voti. Ratio est, Quia votum illud respicit totum tempus vite: vnde incipit vel desinit eius obligatio pro mutatione materiae.

41
Si opus
adiapho-
rum fiat
bonum.

Petes, Quid si opus, quod antea, cum voueretur, erat adiaphorum, postea fiat bonum: verbi gratia, vouisti abstinere perpetuò fratrem adibus, ob aliquam offensionem in fratrem, deinde contingat ibi habitare aliquos, quorum consuetudo tibi foret noxia.

Quid si
ratio boni
mutetur.

Respondeo, Tale votum numquam obligare. Ratio est, Quia ab initio irritum fuit; non enim hoc promissisti Deo quia bonum & ipsi gratum, sed vt te in vindictam fratris in proposito non bono confirmares: vnde et si speciem voti habeat, tamen votum non est. Confirmatur ex regula Iuris 18. Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non subsistit. Secus esset, si boni alicuius intuitu ab initio vouisses, & postea illa boni ratio mutetur in aliam. v. g. vouisti abstinere perpetuò tali domo, ob pericula impunitatis; postea sublatis illis periculis succedunt pericula societatis in furtis vel inimicitis. hoc euentu manet obligatio voti, quia periculum peccati & offensionis diuinæ & damnationis manet: & abstinere tali domo manet semper bonum & Deo gratum. Nec refert quòd alterius speciei bonitatem accipiat;

quia vouetur absolute quatenus Deo gratum; non autem præcisè quia huius vel illius speciei bonitatem obtinet.

Tertiò, Requiritur vt id quod vouetur, sit melius quam eius oppositum seu contradictorium. Ratio est, Quia nemo promittit alteri aliquid, cui gratius esse nouit illud non fieri; & si tale quid promitti aliquando contigerit, non est seruandum; nam & ipse promissarius cupit non seruari. cuius ratio est clara, quia omnis promissio fit vt alteri gratificemur; ac proinde debet esse de eo, quod illi est gratius.

Hinc sequitur, votum de non mutuando, de non danda elemosyna; de non ingredienda Religione, de non suscipiendis Ordinibus sacris, non valere; quia contrarium eius, quod vouetur, est ex se melius & Deo acceptius.

Idem dicendum de voto matrimonij incundi. etsi enim possit se quisquam voto astringere ad hanc pauperulam propter Deum ducedam, supposita matrimonij constanti voluntate, (eò quòd perseverante hac voluntate melius fit hanc ducere quam aliam) si tamen eam voluntatem depinat, desinit obligatio voti, quia absolute melius est nullam ducere. Eadem est ratio quorundam aliorum actuum, qui etsi sint actus virtutum, tamen non cadunt absolute sub votum; quia melius est propter Deum illis abstinere, & melioribus incumbere, vt sunt ea, quæ multum implicent mentem rebus inferioribus, v. g. capeffere questuram Reipublica; militiam extra causam Religionis, officium Iudicis, & similia.

Sed difficultas est de eo, qui non potest continere, Vtrum votum matrimonij ad vitandam fornicationem sit validum. Quidam docent validum esse. Ita Caietanus artic. 2. Nauarrus capite 12. num. 43.

Sed verius est, non esse validum absolute; ita vt non possit irritum reddi; sed solum ex suppositione, nempe supposito quòd ipse nolit alia remedia aduersus carnis tentationes adhibere: tamdiu enim obligabitur ex voto ad matrimonium suscipiendum. Quòd si torporem illum excutiat, & alia remedia capeffere velit, iam cessabit illius voti vinculum: quia iam est ei melius non ducere uxorem, quam ducere. Nec puto Auctores supra dictos hoc velle negare.

Pari modo irritum est votum, si voueas te non amplius voturum: melius enim absolute est vouere, quam non vouere. Si tamen aliquis facilius sit ad vouendum, is validè vouere poterit se in posterum non voturum, nisi re prius cum prudente confessorio communicata; melius enim est, præsertim tali homini, vouere ex matura deliberatione cum viro prudente, quam vouere absque huiusmodi deliberatione: vnde hoc ipsum potest cadere sub aliud votum. Quare ad huiusmodi leuitatem comprimendam, aulicis quibusdam, qui mirè se votis intricabant, auctor interdum fui talis voti faciendi, optimo sanè successu: facti enim sunt, post huiusmodi votum numquam amplius aliquid leuiter votiisse; metu violandi illius voti, leuitatem animi ad vouendum retundente. Si tamen post tale votum rursus ex animi leuitate voueret, valeret hoc votum; modò ea consideratio adfit, quæ in aliis rebus ad peccatum mortiferum vel meritum sufficeret. peccaret tamen sic vouendo; quia prius illud votum, quo promiserat Deo

non

non amplius sic vouere, violaret. Fortasse tamen hac violatio non esset mortifera; quia sæpè contingit, vt adhibere vel prætermittere illam maturam deliberationem; non censetur res magni momenti, præsertim quando res, quæ vouetur, facilis est. Simili modo valet votum, quo quis ad serupulos, qui de votis ipsi solent occurrere, arcendos, vouet se non voturum, nisi verbo vel scripto expresserit se vouere; vt docet Siluester v. *Votum* 2. quæst. 7. Angelus *Votum* 3. qu. 4. Richardus distinct. 38. quæst. 3. circa secundum principale.

46 *Opera præcepta.* Petes, Vtrum opera præceptorum cadant sub votum?

Quidam Doctores videntur negare. Probari potest, Primò, Quia votum à Doctores definitur, *Promissio melioris boni ex deliberatione firmata*, vt refert D. Thomas in 4. dist. 39. quæst. 1. art. 1. *Nomine melioris boni* intelligunt opus consilij, seu supererogationis, vt patet ex D. Thoma art. 2. quæst. 88. Secundò, Quia D. Thomas ibidem & art. 2. indicat huiusmodi vota esse solum analogicè vota, vocatque ea vota communia; quæ non propriè, sed generali solum ratione dicantur vota, sicut ea quæ in Baptismo fiunt. Idem docet Richardus eadem dist. circa tertium princip. quæst. 2. Tertio, Ad opera præcepta iam antè obligamur, eaque obligatio est sufficiens; frustra igitur homo sibi inducit vinculum voti. Quarto, Si votum inducit nouum vinculum supra vinculum præcepti; ergo etiam inducet nouum vinculum obligationi prioris voti: & ita si homo centies idem voueat, centuplici obligatione tenebitur; & violando votum, centuplum peccabit, quod est absurdum. Hæc sententia à quibusdam tribuitur Gersoni, & Tabienæ in Summa, v. *Votum*.

47 *Opera præcepti laudabiliter voueri.* Sed contrarium est omnino certum, nempe laudabiliter posse voueri Deo aliquid ad quod præcepto naturali vel positio astringimur, & per tale votum nouum vinculum induci. Colligitur ex D. Thoma quæst. 88. art. 2. vbi dicit, *ea opera, sine quibus salutem consequi non possumus, cadere sub votum, quatenus voluntarie fiunt*. Idem expressè docet Durandus in 4. d. 38. qu. 1. num. 6. vbi sic ait: *Bonum necessarium ad quod obligamur ex alterius auctoritate, non pertinet propriè ad votum, cuius obligatio est ex mera voluntate. Verumtamen quia ad idem potest obligari pluribus obligationibus, ideo nihil prohibet quin ad illud ad quod obligamur per præceptum ex alterius auctoritate, obligemur etiam per votum ex propria voluntate. vnde firmiter tenendum est, quod vouens continentiam, & committens fornicationem, peccat dupliciter, videlicet peccato fornicationis & fractione voti*. Idè tenet Richardus supra & ceteri Doctores. Probari potest Primò, Gen. 28. vbi Iacob vouit votum Domino, se illum solum culturum pro Deo, & nullos deos alienos; id enim significant verba illa, *Erit mihi Dominus in Deum*. Secundò, Ex perpetuo vsu Ecclesiæ: vbi non solum vouetur abstinentia à nuptiis, quæ non est præcepta; sed etiam abstinentia ab omnibus illicitis voluptatibus extra matrimonium, quæ omnibus est præcepta. Tertio, Iuramento possumus nouum vinculum inducere ad seruanda ea, ad quæ aliàs tenebamur; cur non etiam voto? Quarto, Si homini debeam ex mutuo vel alio contractu, possum me rursus illi ad idem

promissione obstringere: ergo similiter possum in ijs quæ Deo debemus. Denique opera præcepta sunt Deo gratissima: ergo possunt illi promitti, & hæc promissio nouum vinculum adferet. sicut enim creditor pluribus titulis potest idem exigere à debitore; ita debitor potest se pluribus nominibus ad idem obstringere.

Ad Primum Respondeo, Doctores facere vim in nomine *voti*, quasi eo significetur promissio rei liberæ, quam aliàs non tenemur præstare: concedunt tamen induci nouam obligationem; & rem præceptam cadere sub votum, si consideretur non vt est iam debita, sed vt est in nostra potestate eam facere vel omittere.

Ad Secundum: D. Thomas solum vult dicere, promissionem illam, quæ fit in Baptismo, esse analogicè votum. nam ipsius sententiã posse rem præceptam absolutè sub verum votum cadere, patet artic. 2.

Ad Tertium: Etsi obligatio præcepti sit absolute sufficiens ad nos inducendos in eius obsequium; sæpè tamen expedit vinculum voti superinducitur vt languidam voluntatem nostram magis in bono firmemus, & à præcepti violatione auertamus; tum vt plus mereamur, dum duplici de causa facimus, duplicemque virtutis rationem intuemur.

Ad Quartum responderi potest Primò, Si is qui secundo idem vouet, intendat se nouo modo obstringere, concedi potest fore nouam obligationem, etsi eiusdem speciei; vel certè priorem intra eandem speciem auctum iri; sicque futurum vt duplum peccet, si violet. Vnde probabile est, Religiosum sacerdotem, si peccet contra votum castitatis, duplicem malitiam contra votum committere. Si tamen non intendat sibi nouam obligationem inducere, sed solum renouare priorem, ad excitandum spiritum, sic non iudicetur noua obligatio, nec crescat prior intra eandem speciem; quia votum non operatur vltra intentionem vouentis.

Respondeo Secundò, Esse disparem rationem. Aliud enim est vinculum præcepti, aliud voti, & diuersa ratione vtrumque nititur: sicut aliud est esse debitorem ex præcepto Iudicis, aliud ex propria promissione, vel stipulatione. vnde obligationi præcepti facile noua obligatio ex voto superuenire potest.

Cum autem aliquid ex promissione cuiuspiam est debitum, si idem secundo illi promittatur, non nascitur nouum vinculum, aut nouum ius; sicut neque cum idem secundo alicui donatur vel venditur; nam primus actus omnem effectum, quem habere potest, iam posuit: ac proinde secundus non potest aliquid noui causare; sed solum confirmat & approbat obligationem & ius inductum per priorem. Vnde sequitur, non esse duplex peccatum, neque ita augeri intra eandem speciem vt æquiualeat duabus voti violationibus. vide infra lib. 4. cap. 3. dub. 12.

Ex dictis patet, omnia ea sub votum cadere, quæ gratiora sunt Deo, quam ipsorum opposita; qualia sunt omnia opera consilij, siue consistant in actione positua, siue in omissione aliqua. Similiter opera omnia præceptorum; quamquam hæc non dicantur ita propriè materia voti, sicut ea quæ sunt consilij.

DUBITATIO VIII.

Vtrum sit bonum vouere, & ex voto aliquid facere animo colendi Deum, & quantum sit bonum.

D. Thom. art. 4. §. 6.

50
Sententia
hereticorum.

Heretici huius temporis docent, non esse bonum, sed impium, vouere Deo, cum opinione cultus, aliquid quod non sit præceptum; posse tamen tale quid voueri ob alium finem; v. g. ad vitandum aliquod peccatum vel molestiam, vel ad alia vitæ negotia. Ratio illorum est, quia nihil usurpandum ad cultum, nisi quod Deus præceperit; alioquin committeretur *εθελοσπονδία*, id est, voluntarius cultus & superstitio; quam reprehendit Apostolus ad Coloss. 2. v. ultimo. Ita Caluinus lib. 4. Instit. cap. 13. num. 1. 2. 3. & sequentibus, & Lutherus de libertate Christiana, &c. Vnde inferunt, vota Religiosorum impia esse & irrita: & SS. Franciscum, Dominicum, Bernardum, damnatos esse; nisi forte commoditatis causâ, nempe vt liberi essent ab vxoris, filiorum, & rerum temporalium molestiis, non autem studio cultus, & sic placendi Deo, ea vota susceperint. Sed est stolidus error. Vnde

51
Vouere
animo cultus.

Dico Primò, Fide tenendum est, bonum esse vouere Deo etiam opus non præceptum, animo deferendi cultum, & illi placendi. Probatur Primò, Ex Scripturis quæ ad hoc hortantur, Plal. 75. *Vouete & redite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius offeritis munera: terribili, & ei qui auferit spiritum Principum, &c.* vbi etiam ponitur causa, cur ei merito vouere & vota reddere debeamus, nempe quia *terribilis est, & vitæ necisque in omnes summum ius habet. Isaia 19. Cognoscet Aegypti (id est, gentes conuersæ) Dominum, & colent eum in hostijs & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Secundò Probat, Quia contradictionem implicat, fieri votum, & non animo colendi, saltem implicite: cum votum intrinsecè sit quidam Dei cultus; nulla enim Deo fit promissio vel oblatio causâ leuandæ inopiæ, vel vilitatis conferendæ, sed solum causa honorandi, & gratum deferendi obsequium, vt vsus omnium gentium testatur. Tertio, Si ob aliam causam fieri potest, cur non etiam vt Deus honoretur, vtque Deo per hoc placeamus; nam & Apostolus hortatur vt omnia ad Dei gloriam faciamus; & ex Scripturis constat vota Deo placere: cur ergo non possimus ea facere animo cultus, id est, vt Deo per hoc placeamus, vt ei gratum obsequium deferamus: sic enim ipsi cultum interpretantur. Quarto, Ratio naturalis dicit bonum esse, Numini vota facere, illudque sic honorari. vnde omnes gentes diis suis vota faciunt, & solunt; putantque se hoc modo illos colere; & si ea non impleuerint, grauius in illos delinquere.

52
Soluere
votum
animo cultus.

Dico Secundò, Fide quoque tenendum, non solum bonum esse vouere, sed etiam vota animo colendi soluere. Probatur Primò, Ex Scripturis allatis, vbi dicitur: *Voueto & reddite: Vouebunt & soluent.* & Deut. 23. *Si votum voueris, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus. si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. si nolueris polliceri, absque peccato eris.* vbi aperte loquitur de voto rei libera non præcepta. Secundò, Quia eiusdem

virtutis est vouere & votum reddere; et si enim promittere homini, & promissa soluere, non sint eiusdem virtutis, cum illud sit liberalitatis, hoc fidelitatis; tamen promittere Deo, & promissa soluere, ad eandem virtutem Religionis pertinet: vtroque enim actum Deum honoramus, & bonorum nostrorum auctorem profitemur; quamuis vouere sit voluntatis, soluere necessitatis. Tertio, Facere aliquid vt Deo seruemus fidem datam, est cultus Dei, & bonum: sed facere ex voto, est facere vt Deo seruetur fides: ergo facere ex voto, est cultus Dei, & bonum. Quarto, Omne opus bonum factum vt Deo placeamus, est cultus quidam Dei, iuxta modum loquendi Scripturæ: nam *visitare viduas & pupillos, & immaculatam se custodire ab hoc seculo (vbi omnes virtutes continentur) est vera Religio apud Deum, Iacobi 1. Beneficentia & eleemosyna vocatur hostia Deo acceptabilis, ad Philippen. 4. & ad Hebr. 13. Ieiunium & obsecrationes vocantur seruitus & latræ, Luca 2. Castitas & corporis castigatio hostia sancta, rationale obsequium, seu rationalis latræ, ad Roman. 12. atqui laudabile est hæc facere etiam dum non sunt præcepta: ergo postsumus Deo cultum exhibere etiam quando non præcipit. Quintò, Iacob vouit Deo decimas, quas ipse non præceperat, Genes. 28. nec dubium quin etiam soluerit. Dauid vouit ædificare templum, Plalm. 131. Denique vota omnia, de quibus agitur Leuitic. 27. Deuter. 12. 23. & alibi, sunt de rebus non præceptis. Imò res præcepta non potest cadere sub votum, nisi quatenus consideratur vt subest nostræ libertati, vt infra ostendetur. Sextò, Vouere idolo, & soluere, est idololatria: ergo vouere Deo & soluere, est cultus Dei.*

Ad rationem hereticorum Respondeo, Absurdum esse, nihil posse usurpari ad colendum Deum, nisi quod est præceptum: contrarium enim constat exemplis Scripturæ, & aperta ratione. Omne enim opus bonum fieri potest in honorem Dei: imò quò aliquid minus est debitum, eò magis idoneum vt offeratur Deo, iuxta illud, *voluntariè sacrificabo tibi.* Neque illud est *εθελοσπονδία*, de qua Apostolus; quia non quiuus cultus voluntariè assumptus vocatur ab Apostolo *εθελοσπονδία*; sed is tantum qui sola inuentione humana consistit, quod fieri potest dupliciter: vel enim deferretur numini fallo, & ab hominibus inuenito, qualis est cultus Angelorum, quem Platonici & Simon Magus eis deterebant, de quo ibi agit Apostolus, vt plerique interpretantur: vel exhibetur Deo vero, sed non est idonea cultus materia; vt si quis abstineat à cibis, quòd putet eos natura sua, vel Legis veteris decreto, etiam in nouo Testamento immundos: vel ponat vim in re aliqua vel circumstantia in qua non est ponenda, vt in numero, in situ, in colore, &c.

Dico Tertio, Facere aliquid ex voto, non solum est bonum, sed etiam melius quam illud idem facere sine voto. Est fide tenendum. Probat, Quia Scriptura hortatur ad vouendum; quod non faceret, nisi opus ex voto præstitum esset Deo gratius. Secundò, Quando opus aliàs bonum fit ex voto, habet duplicem laudem; tum quia per se & secundum suam speciem bonum est, vt dare eleemosynam, ieiunare; tum quia fit ex affectu Religionis in Deum, seu ex fide, quam Deo debemus. Tertio, Qui vouet, & votum

Promittere
& promiss.
in soluere,
an eiusdem
virtutis.

Cultus Dei
quid.

Ad argu-
mentum
hereticorum.

53
Opus ex
voto est
melius,
quam sine
voto.

votum soluit, non solum offert Deo bonum opus, sed etiam boni operis facultatem; nam prius se facultate illius omittendi. Vnde similis est illi, qui donat non solum fructus arboris, sed etiam ipsam arborem, vt ait Anselmus lib. de similitudinibus cap.84. qui autem solum opus prestat absque voto, non dat Deo operis illius facultatem. Quarto, Qui facit ex voto, operatur ex proposito firmiore, magisque immutabili. hoc autem est melius. vide D. Thomam art. 6.

54
Obiectio-
nes.

Dices Primò, Quod fit ex necessitate, minus gratum est Deo, quam quod liberè: id autem quod fit ex voto, fit ex necessitate; ergo quod fit ex voto, minus est gratum Deo, quam quod sine voto. Maior probatur 2. ad Corinth. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilararem enim datorem diligit Deus.* Minor patet, tum quia votum inducit vinculum; tum quia Apostolus votum vocat *laqueum*, 1. ad Cor. 7. *Non ut laqueum vobis inuicemus*; quasi dicat, Hortor ad continentiam, non ad votum, ne sit vobis in laqueum.

Ex necessi-
tate fieri
tripliciter
dicitur.

Respondeo, Tribus modis dicitur aliquid fieri ex necessitate. Primò, Quia fit ex absoluta determinatione ad vnum: quomodo bestie ex necessitate operantur; & homo iuxta hæreticos ex necessitate agit quidquid agit, quia ad omnia & singula motione diuina impellitur, ita vt resistere nequeat, vt docet Caluinus lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. & 2. Secundò, Quia fit ex aliqua coactione, dicitur autem ex coactione fieri, quod fit repugnante voluntate, nollet enim voluntas, nisi timor alicuius mali, aut vis aliqua vigeret. Nec refert quale id malum sit, temporale, an æternum. Terziò, Quia fit ex obligatione, (sive ea proueniat ex præcepto, sive ex voto, sive aliunde) absque villo affectu repugnante.

Quod fit ex necessitate primo modo, non est laudabile aut meritorium; quia non est nostri arbitrij, sed eius, qui determinationem illam impellit. Vnde si Deus hominem ad omnia opera sua prædeterminaret, nullum esset meritum, nullumque demeritum fieri tamen potest vt id, quod fit ex huiusmodi necessitate, sit maximum bonum; non quidem bonum morale, meritorium, laudabile, sed honorabile & diuinum; vt patet in visione & amore beatifico, in productione Filij & Spiritus sancti.

Quod fit
coactè &
timore ser-
uili, non est
malum.

Quod secundo modo fit ex necessitate, etiam non est meritorium: quia non fit ex affectu honesti, sed timore incommodi temporalis; & consequenter ex affectu commodi temporalis, vt opum, honoris, sanitatis. non est tamen quod sic agitur malum; etsi affectus ille non faciendi, qui coniungitur, malus esse possit; vt quando opus est præceptum: quia affectus ille, quo nollet facere, nisi cogere, non influit in opus, sed solum est quid comitans per accidens. Vnde etiam timor seruilis, & id quod fit ex tali timore, malum non est: licet seruilitas eius, quæ in affectu illo coniuncto consistit, mala sit.

Tertius modus non repugnat bonitati operis, aut merito, vel laudi eius: imò quò plures sunt tales necessitates ex quibus opus agitur, eò est laudabilius & melius; modò non adsit affectus operi repugnans, nimirum quo nolles opus, nisi obligareris. Ratio est, quia quò plures spectantur obligationes, eò plures sunt rationes virtutum, quarum affectu opus agitur; sicque

opus externum affectu omnium illarum virtutum informatur.

Ex dictis patet Responso. Ad maiorem igitur dicendum, Id, quod fit ex necessitate coactionis, esse minus gratum Deo (vt rectè D. Thomas artic. 6. ad 1.) quia fit repugnante affectu. & de tali necessitate loquitur Apostolus, cum ait, *non ex tristitia*; tristitia enim nascitur cum aliquid fit affectu repugnante. *aut ex necessitate*, id est, non quasi coacti imperio aut timore dedecoris, repugnante voluntate. Et ad Philemonem; *ne velut ex necessitate bonum tuum sit, sed voluntarium*, id est, non coactum repugnante voluntate, sed ex proprio affectu. at quod fit ex voto, non fit ex tali necessitate, sed ex necessitate obligationis, non iniusta, sed amata, cui non repugnet affectus, sed sponte consentiat: qui modus operandi est Deo gratior; quia ex affectu plurium virtutum, vt si des eleemofynam non solum affectu misericordie, quia pauper eger; sed etiam affectu Religionis, quia Deo id promissisti; & affectu charitatis, quia Deo id placet. Vnde etiam melius est, ceteris paribus, facere opus bonum ex præcepto, quam suo arbitrio absque præcepto. qui enim ieiunat ex præcepto, facit ex affectu temperantia, & obedientia; qui sine præcepto, temperantia tantum. Hinc patet ad minorem: etsi enim votum inducat vinculum, tamen hoc est voluntarium, & necessitas amabilis, vt pote sponte suscepta. Neque Apostolus 1. ad Corinth. 7. votum vocat *laqueum*, sed præceptum inuitis impositum. quamuis votum etiam possit dici *laqueus* iis qui inuiti vident, & qui post vota tepescunt, & retrò respiciunt: sed hoc modo etiam præcepta Iuris naturæ laquei sunt peccatoribus.

Petes, Quid si quis repugnante affectu faciat opus ex voto?

Respondeo, Id posse fieri multis modis. Vel enim displicet opus secundum se; vt quia asperum, molestum, yercundum; tamen quia vouit, vult facere. & hoc etiam modo opus ex voto melius est quam sine voto. melius enim est ieiunare affectu Religionis, quam affectu temperantia; vt rectè diuus Thomas ad 2. Sic Religiosi facientes ex voto id quod aliàs nollet facere, plus merentur quam illi qui id faciunt sponte sua.

Vel displicet etiam votum, ita vt homo veller se non vouisse; tamen quia vouit, vult facere, vt voto suo satisfaciat. & sic quoque melius est facere ex voto: nam displicentia illa non influit in opus, sed solum comitatur; nec est per se peccatum, quia potest interdum subesse iusta ratio dolendi de voto. Quòd si iusta ratio non subit, est quidem peccatum; (quia est quædam in Deum ingratitude dolere de tanto beneficio, de quo gratia maxima essent agenda) non tamen est peccatum mortiferum, modò propositum exequendi perseveret.

Vel ita displicet votum, vt non sit ei cura facere ex affectu voti; facit tamen timore peccati, ne grauitè Deum offendat. & hoc quoque modo opus factum ex voto potest esse melius, quam idem opus factum sponte ex affectu suæ virtutis: quia timor peccati, vt offendit Deum, est actus charitatis: vnde tale opus fit ex affectu charitatis.

Vel denique facit opus ex voto tantummodo

Applica-
tur distin-
ctio.

Quo modo
opus ex
præcepto
sit melius.

55
Implens
votum af-
fectu repu-
gnante.

modò timore damnationis, aliàs non facturus. hoc modo opus non est melius, quia ex timore feruili; tamen non est malum; quia talis timor ex virtute fidei & spei excitatur. affectus tamen ille, qui comitatur opus, Nollem seruare votum, nisi metuerem damnari, est peccatum; quia est affectus & amor eius, quod per se malum est, & contemptus iustitiæ & rectitudinis: imò continet implicitè quemdam contemptum Dei, & diuinæ amicitiae: secùs de illo affectu, Nollem facere nisi omisso esset peccatum, vel displiceret Deo.

56 *Obiectio.* Dices, Melius est aliquid donare gratis, quàm ex obligatione; ergo melius est facere sine voto.

Resp. Respondeo Primò, Si illa obligatio orta sit ex liberali promissione; quod ex ea datur, etiam gratis datur: non enim obligatio, quæ nascitur ex promissione liberali, repugnat liberalitati; sed est eius effectus.

Secundò, Et si hominibus gratius sit ut aliquid ipsis detur gratis, quàm ut detur ex obligatione; (quia cum gratis accipiunt, videntur aliquid lucrari) Deo tamen non est semper gratius: quia non querit lucrum ex operibus nostris: sed id semper est ei gratius, quod ex pluribus vel melioribus affectibus procedit.

D Y B I T A T I O IX.

Quale peccatum sit violare votum.

D. Thomas art. 3.

57 *Potest esse veniale ratione paruitatis materiae, & defectu considerationis.* **R**espond. Ex genere suo esse peccatum mortale; quia est contra reuerentiam Deo debitam, & notabilem quemdam contemptum & vilipensionem Dei continere videtur: sicut qui fidem homini datam violat, censetur illum parui aestimare. si enim illum magni aestimaret, commoueretur ipsius reuerentiã, ne fidem ipsi datam ausit fallere. fieri tamen potest ut ex paruitate materiae, vel defectu animaduersionis sit veniale, sicut in ceteris peccatorum generibus accidit: ut si vouisti recitare Psalterium, & omittas paucos versiculos: & in hoc consentiunt DD.

58 *Sit tota materia sit tenuis.* Sed difficultas est Primò, Vtrum violatio voti sit aliquando venialis ratione tenuitatis materiae, quando totum violatur. ut si voueris Salutationem Anglicam, & postea omittas. Caietan. qu. 89. de iuramento art. 7. & Angelus, Votum 3. §. vltimo, existimant semper esse mortale, quando id, quod omittitur, est tota materia voti vel iuramenti.

Probabilius esse veniale. Sed etiam hæc sententia sit probabilis, Contrarium tamen est probabilius, nempe esse solum veniale, quando materia est valde exigua. Ita plerique recentiores hoc tempore, Nauarrus cap. 12. num. 40. Sotus lib. 8. qu. 1. art. 7. vbi acriter hoc tuetur. Probatur Primò, Quia etiam bona cogitatio, breuisque precatio sit res magni meriti; tamen ad vouendum, & inter ea quæ voueri solent, censetur humano more materia parua. Secundò, Quia inter ea quæ homini debentur ex iustitia, datur materia magna & parua; cur non etiam inter ea, quæ debita Deo? Tertio, In ceteris peccatis contra virtutes, quæ non versantur immediate circa Deum, inuenitur materia magna & parua; est enim superfluitio magna & parua, omittio orationis magna & parua: item in decimis &

oblationibus, fraudatio magna & parua, in voluptatibus prohibitis, magna & parua. cur non etiam in peccatis contra votum? Idem censendum de iuramento promissorio, ut quidam volunt. de quo infra cap. 42. dubit. 5.

Dices Primò, Nihil, quod ad Dei honorem pertinet, censendum est parui momenti, cum vitam æternam promeretur: ergo ratione paruitatis materiae non excusatur. *Obiectio 1.*

Respons. Respond. Et si non sit absolute parui momenti respectu meriti, tamen ad vouendum, (id est, in ordine ad votum, & honorem Dei) paruum censetur. alioquin etiam mortale esset omittere aliquot versiculos, dum sunt pars materiae votæ: nam recitatio illorum tamquam partis materiae, est tam meritoria, quàm recitatio illorum ut sunt tota materia; nec minus Deum honorat, si pari affectu fiat.

Dices Secundò, Quando versiculi illi sunt pars materiae, si omittantur, nondum violatur votum quod per se primò respicit totam materiam; (v. g. cum vouisti legere Psalterium) sed tantummodo cum quadam imperfectione soluitur: dum autem sunt tota materia, violatur totum votum: ergo est dispar ratio; nam totius voti violatio videtur esse magna irreuerentia. *Obiectio 2.*

Respons. Respond. Non esse disparitatem notabilem. id enim omittere istos versiculos est veniale, quia violatur votum in re parua, siue illa res parua sit tota materia, siue pars; hoc enim non facit illam strictiori obligatione deberi. Confirmatur, quia si quis promiserit decem, & nõ soluat nisi nouem, violat promissum in vno, & hæc violatio censetur esse in re parua; cur non etiam censetur esse parua si non soluat, quando tantum illud vnum promiserat? Nec refert quòd ille dicatur soluere votum, hic verò nullo modo: quia ille ita soluit, ut etiam ex parte violet, quæ pars tanti est, quanti tota materia alterius. Nec obstat quòd illa pars non fuerit per se primò vota; quia sufficit illam verè votam esse in toto. parum enim interest an aliquid sit promissum per se & solitariè, an cum multis aliis: quia non idèd plus vel minus est debitum, ut ex communi hominum sensu constat.

Dices Tertio, Mendacium de peccato veniali, si sit tota materia confessionis, est peccatum mortale; non autem si solum sit pars materiae, ut communiter DD. docent: ergo similiter quando aliquid est tota materia voti, si violetur, erit peccatum mortale. *Obiectio 3. Mendacium de peccato veniali in confessione.*

Respons. Respond. Esse disparem rationem. Idèd enim tale mendacium est peccatum mortiferum, quando est tota materia confessionis, quia reddit irritum Sacramentum, quod est peculiare opus sacerdotij Christi, ab illo singularem sanctitatem habens. votum autem non est functio sacerdotij Christi, nec vllam sanctitatem habet, nisi à vouente, nec redditur irritum, cum iam præterierit; sed solum agitur contra obligationem eius remanentem; idque solum in re parua.

Dices Quarto, Lege diuina tenemur soluere vota: sed violatio legis diuinæ est peccatum mortale. *Obiectio 4.*

Respons. Respondeo, Violatio legis diuinæ in re magna est peccatum mortale, non autem in re parua: nam lex diuina præcipit nihil furari, nihil, quod proximi sit, concupiscere; tamen contrarium facere in re parua, non est peccatum mortale.

Secun-

Exiguus
opus si fre-
quentian-
dum.

Secundò difficultas est, cum quis vouit aliquid minutum singulis diebus faciendum, Vtrum sit peccatum mortiferum, illud per vnum vel plures dies omittere?

Si obliga-
tio sit diei
annexa.

Resp. breuiter, & Dico Primò, Si ita intendat se obligare in singulos dies, vt obligatio sit diei affixa, & vnà cum die expiret, non erit peccatum mortiferum, etiã si per plures dies omittat; sed erunt tot peccata venialia, quot erunt omissiones, seu dies quibus omittit: vt si vouerit singulis diebus Sabbati in honorem B. Virginis recitare Salue Regina, vel Aue maris stella. Ratio est, Quia cum obligatio non continetur, sed euanelcat quotidie, non accumulatur quoque obiecta parua ad constituendum vnum magnum, sed manent diuisa, sicut & obligationes. itaq; cum nunquam sit obligatio ad obiectum magnum, nunquam omissio erit peccatum mortale. Confit. Quia in huiusmodi votis non est vna aliqua obligatio respiciens materiam magnam, sed sunt plurimæ obligationes distinctæ respicientes distinctas materias paruas. Nam perinde se habent ac si quis singulis diebus faceret nouum votum de recitanda prece illo dumtaxat die: quo casu violatio plurium dierum non efficeret peccatum mortale, sed totidem venialia. Colligitur hæc doctrina ex Soto lib. 7. de Iustit. qu. 2. art. 1. dub. 2.

61
Si non sit
annexa
diei.

Dico Secundò, Si ita se quis obliget in singulos dies vt obligatio non sit diei affixa, nec expiret cum die, sed continuetur; erit peccatum mortiferum, complures dies omittere. Vt si voueas quotidie dare aelem in elemosynam, si omittas per plurimos dies, accumulatur debitum, sitque materia notabilis, ac proinde erit peccatum mortale non soluere. Similiter si vouisti recitare quotidie Orationem Dominicam, aut Hymnum Veni creator, non affigens orationem diei, si diu omittas, crescit debitum, sitque notabile: quare erit peccatum mortiferum illud non soluere, aut vna volitione per multos dies talia minuta debita velle omittere. Idem dicendum quando alicui imponitur in penitentiam, vt per mensem recitet quotidie Psalmum Miserere. non enim obligatio affigitur diei tamquam proprius illius cultus (nisi aliud intendat Confessarius) sed diuiditur onus in plures dies, & singuli dies præfigurantur tamquam termini, vltra quos non sit executio differenda. Vnde si omitatur, non ideo euanelcit obligatio.

Porro in istis & similibus casibus non solum est peccatum, velle per plurimos dies minuta & quotidiana illa omittere, aut omittere soluere debitum cum excreuit; sed etiam omittere minutam precationem eo die quo hæc precatio cum reliquis omissis materiam magnam constituit, seu quo debitum esse notabile incipit. Exempli gratia, sint 20. precationes Dominicæ materia notabilis: omissio vigesima erit peccatum mortiferum; non per se quidem, sed vt coniuncta præcedentibus omissionibus subest vni volitioni libera, qua quis aduertens se etiam reliquarum debitorum, hoc torum negligit, & vult omittere: quia hæc vigesima precatio primùm complet quantitatem notabilem, circa quam sit obligatio sub peccato mortali: sicut vigesimus assis v. g. in materia furti, constituit quantitatem notabilem: vnde qui ante sensim accepit vsque ad octodecim vel nouemdecim, etsi non peccarit mortiferè, tamen accipiendo vigesimum voluntate retinendi

vnà cum ceteris, peccatum mortiferum admitter. Vide suprà lib. 2. cap. 12. dub. 3.

His adde, omnia peccata contra votum qua parte votum violant, esse eiusdem speciei, quia eiusdem rationis est irreuerentia & infidelitas erga Deum, siue in hac siue in illa materia fiat. Vnde qui vouit castitatem, si contingat illum fornicari, vel pollui, & confessus fuerit hoc peccatum, omiffa per obliuionem circumstantia voti, sufficit vt postea eidem vel alteri confessori explicet se votum in re graui violasse; vt multi DD. tradunt.

Mali-
tiam
violati-
onis
voti sunt
eiusdem
speciei.

DUBITATIO X.

Vtrum votum alterius possit alterum obstringere, vt parentis, filium, testatoris, heredem, decessoris, successorem.

VT respondeatur huic dubitationi, adhibenda est distinctio votorum in personale, reale, & mixtum; de qua sup. dub. 4. Qua posita,

Dico Primò, Si votum sit personale, non obligat nisi personam vouentis. tale est votum ieiunij, peregrinationis, militiae sacrae, ingrediendæ Religionis, & similia. Ratio est, Quia hæc vota solum sunt de actionibus personalibus, quæ à sola persona vouentis sunt exequendæ. hæc enim sola promittuntur, nulla autem res externa: ergo non pertinent ad personam heredis, itaque si huiusmodi votis nondum solutis vouens decefferit, non tenetur heres.

62
Vota perso-
nalia.

Sed difficultas est de parentibus, Vtrum illi voto suo non possint obligare filios. Videntur posse, nam multis Canonibus habetur, filium, qui à parente in infantia sua Monasterio dicatus fuerit, non posse, cum ad pubertatem venerit, egredi. Ita habetur 20. qu. 1. cap. 3. Monachum, ex Concilio Toletano 4. cap. 48. *Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. proinde bis ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus.* Idem habetur expressè cap. Addidistis. 2. & cap. Quicumque. 4. & capit. Quem progenitores. 6. ibidem.

An paren-
tes obligent
filios.

Respond. Nec votum, nec oblationem patētis posse obligare filium impuberem ad Religionis ingressum, vel permanfionem in ea, nisi filius cum ad annos discretionis peruenerit, consenserit, & factum parentis ratum habuerit. Ita Glossa in cap. Addidistis, vbi sic ait: *Intelligas hæc tria capit. de illis, qui post aetatem adultam consensum accommodarunt.* vnde patet responsio ad prædictos Canones. & habetur expressè cap. Cum simus. 14. de Regularibus, quod est Cælestini III. & cap. 10. Illud autem. 20. q. 1. quod est Marcelli. Colligitur etiam cap. Puellæ. 8. & cap. Sicut. 9. ibidem. Confirmatur ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 17. de Regularibus, vbi statuit vt professio virginum liberissima sit. & cap. 18. excommunicat eos, qui aliquo modo virgines vel alias feminas ad ingrediendum Monasterium, ad habitum, vel professionem cogunt, &c. Ratio est Primò, Quia nemo potest vouere aut promittere alteri, nisi quod habet in sua potestate: atqui arbitrium & actiones filij non sunt in potestate parentis. Vnde parens non potest aliud vouere, quam se curaturum vt educetur dum adhuc impuber est, in Monasterio; & quantum in se est inducturum ad Religionem ample-

63
Resp.

amplectendam: quodcumque enim aliquis promittit factum alienum ad quod cogere non potest, non censetur aliud promittere, quam se, quantum poterit, inducturum alterum ut faciat; ut omnes Iurisperiti docent, & colligitur L. Stipulario ista, *τ.* de verb. obligat. & Institut. de similib. stipul. §. Si quis alium.

Deinde in his, quæ ad statum vitæ pertinent, quisque est sui iuris, nec potest ad ea nisi suo consensu obligari; ut patet in matrimonio, sacerdotio, cælibatu, &c. tantum enim onus, quod perpetuo homini adheret, & in negotio salutis tantum in utramque partem momenti habet, non ex alieno arbitrio pendere, sed sponte suscipi debet: ergo idem dicendum de statu Religionis. Denique quia Christus Dominus consilia sua voluit esse libera, idque tum propter illorum excellentiam, tum quia non sunt necessaria ad salutem. Unde nulla potestas humana potest ad ea obligare. Itaque Religio duplici nomine libertatè postulat, nimirum quia & ad totius vitæ statum pertinet; & quia est bonum supernaturale consilia Christi complectens.

*Qua pars
rens possit
præcipere.*

Nec obstat, quod parens possit quædam filio præcipere: quia non potest præcipere ingressum Religionis, sed ea tantum, quæ ad domesticam disciplinam, & obseruationem mandatorum Dei pertinent. Deinde etsi ad hæc possit filium obligare præcepto, non tamen voto.

Petes, Quid si voto personali implendo occurrat impedimentum; tenebiturne vouens per alium implere?

64
*Si occurrat
impedi-
mentum.*

Respond. Non tenebitur, quia sola ipsius persona obligatur, quæ iam per impedimentum excusatur. quod si per alium fecerit, non ideo liber erit cessante impedimento, nisi commutetur votum. Excipe, nisi dum voueret, intendisset se obligare ad implendum per alium, in euentum, quo per se non posset; tunc enim teneretur id curare: & sic liberaretur.

65
Si reale.

Dico Secundo, Si votum sit reale, nisi ante mortem perfolutum fuerit, obligat heredem. colligitur ex cap. Si heredes, de testamentis; ubi dicitur, heredes, qui iussa testatoris non implerint, esse interdicendos hereditate. talia enim vota inter iussa ipsius censenda sunt. Idem patet ex L. 2. *τ.* de pollicitationibus, ubi dicitur, Si decimam quis bonorum vouit, decima non prius in bonis desit esse, quam fuerit separata, & si forte qui decimam vouit, decesserit ante sepositionem, heres ipsius hereditario nomine obstrictus est decima: voti enim obligationem ad heredem transire constat. Idem docent communiter DD. vide Siluest. v. Votum 2. qu. 11. Ratio est, Quia sicut heres succedit in bonis, & in actionibus ac iuribus defuncti; ita etiam in oneribus quæ hereditatem attingunt, etiam si nulla res per se sit obligata. Unde sicut ea, quæ testator promissit homini, tenetur solvere; ita etiam quæ promissit Deo.

Votum peregrinationis.

Idem dicendum videtur, si defunctus vouerat aliquam peregrinationem, vel militiam sacram, ea intentione, ut si per se non posset exequi, per alium curaret: tunc enim sub conditione videtur tacite vouisse se daturum sumptus ad hæc præstanda; & proinde fecisse votum reale; quare tenebitur heres; quod est notandum. idem dicendum quando testator ordinar ut heres mittat hominem.

Simile est, Si quis vouit ædificare Monasterium, vel aliam piam foundationem instituire. Ita docet Abulenſis q. 98. in cap. 30. Numerorum.

Petes, Quid si heres non curet fieri, peccabitne contra votum?

66
*Si heres
negligat.*

Respond. Non peccabit propriè contra votum, nec erit voti violator; quia ipse nihil vouit, aut promissit Deo, (sicut heres, qui tenetur promissione testatoris iuramento confirmata, non tenetur vinculo iuramenti) sed partim contra obligationem, quia defuncto obstringitur ratione hereditatis acceptæ, seu taciti pacti, quo eo ipso, quo hereditatem adit, acceptat onera defuncti: partim contra Religionem, quia non soluit quod Deo debet, etsi enim Deo non promissit, tamen factus est Deo debitor, suscipiendo in se obligationem alterius Deo debentis. Sicut is qui promittit se votum vouentis impleturum accepta mercede; si fallat, & ipsi & Deo iniuriam facit.

Dico Tertio, Si votum sit mixtum, partim obligat, partim non obligat heredem: obligat quæ reale, non obligat quæ personale, ut si vouisti peregrinationem Lauretanam, & offerre ibidem calicem; heres tuus tenetur mittere calicem, non autem curare peregrinationem.

67
Si mixtum.

Petes, An teneatur sumptus itineris in pios vsus conferre?

*Sumptus
itineris.*

Respondeo, non teneri: quia sunt accessorii voto personali; non enim sub illud cadunt, nisi indirectè, & ut necessarij ad expletionem voti personalis: illo igitur euanescente, desinunt deberi. secus si ille vouendo intendisset ut per alium expleretur. Horum tamen habenda ratio in commutatione votorum, teste Nauarro cap. 12. numer. 77. & colligitur cap. Magnæ deuotionis, de voto. hoc tamen non videtur absolutè necessarium, sed decens.

DVBITATIO XI.

Quot modis possit quis voto solui.

Respondeo, Quinque modis, ut colligitur ex DD. vide Siluestrum, Votum 4. qu. 1. Nauarro cap. 12. nu. 63. Primo, Desitione materiae. Secundo, Absentiæ conditionis. Tertio, Irritatione. Quarto, Commutatione. Quinto, Dispensatione seu absolutione.

Desitione materiae soluitur, si id quod ante erat legitima materia, desinat esse materia voti, vel absolutè, vel respectu vouentis. ut si fiat impossibilis, si mala, si maioris boni impeditiua, si indifferens, si inutilis.

Desitione conditionis, ut si votum factum sit eueniens vel durante certa conditione, & illa non eueniat, vel desinat.

Irritatione, Quando materia, quam vouemus, vel voluntas vouentis, subiecta est aliquo modo alienæ potestati, & ab eius consensu dependens; talia enim habent hanc tacitam conditionem, Nisi Superior, seu ille cuius interest, contradixerit.

Commutatione, Quando obligatio voti ab vna materia transfertur in aliam. Quod si obligatio voti personalis transferatur ad opus reale, ut ad eleemolynam vel ædificationem loci pij, dicitur *redemptio*.

Dispensatione, Quando auctoritate ecclesiastica quis omnino à voto absoluitur. Differunt hi tres modi, quod irritatio non requirit auctoritatem ecclesiasticam, commutatio verò & dispensatio requirant.

D V B I

DUBITATIO XII.

Quorum vota possint irrita reddi, & quale peccatum irritatio absque causa.

69 **R**espondeo, Generatim omnia illorum vota irritari posse, qui alteri vel perfectè & in omnibus, vel saltem quoad materiam, quam vouerunt, subiecti sunt. Ratio est, quia horum vota pendent à consensu alterius: ac proinde tacitam quamdam conditionem, vel ex natura rei, vel ex Iuris dispositione includunt, nempe hanc, *Nisi Superior, vel ille cuius interest, contradixerit.* quare si ille intelligens votum, repugnauerit, cessabit obligatio.

Vnde sequitur, ad irritationem non requiri causam, sed sufficere irritantis voluntatem, vt doceat communiter DD. quia executio pendet ab eius consensu.

An sit peccatum.

Vtrum autem peccet qui sine causa irritum fecerit, non ita constat. Certum videtur, non peccare mortiferè. Imò per se non videtur vllum peccatum; quia totum votum in ipsius arbitrium collatum est; nec vlla lege cogitur illud approbare. Denique suo Iure vitur, siue prober siue improbet. Ita docet Paludanus in 4. d. 38. quæst. 4. art. 2. Siluester, *Votum.* 4. quæst. 2. Angelus, *Votum.* 2. num. 10.

70 Dices, Irritare votum alterius sine causa, saltem est actus otiosus, quia caret sine honesto: ergo est peccatum saltem veniale. Confirmatur Numer. c. 3. v. 16. vbi dicitur, *Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem eius.*

Responderi potest, Non esse propriè opus otiosum; quia non caret sine honesto, eo tempore, quo tenetur illum habere. Ad Confr. dicitur, Ibi agi de marito, qui sciens votum vxoris, diu dissimulauit, & postea contradixit; cum tamen statim id facere debuisset. *Hic portabit iniquitatem vxoris,* quia voti violatio materialis non imputabitur vxori, sed marito, qui pro illa punietur; vel quia impediuit voti validi executionem, vel quia votum in irritum reuocauit quando id ei minime licuit; et si valida voti irritatio fuerit. Crediderim tamen, non excusari à peccato veniali, si absque vlla causa solo arbitratu suo votum subditi in irritum reuocet. quia sine causa bonum opus alterum impedire velle, vituperabile est & malum. cum enim alia causa non subest, videtur ex displicentia operis fieri quòd obligationem ad illud elidat.

71 Non reuocatur.

Porro votum semel in irritum reuocatum, numquam reuiuiscit, etiamsi Superior facultatem tribuat exequendi, & suam irritationem retractet: quia obligatio per veram irritationem non suspenditur, sed extinguitur. Secus est, quando non est vera irritatio, sed dumtaxat suspensio executionis, vt fit in votis Nouitiorum, & in votis coniugis emissis ante contractum matrimonium. Ea enim vota non possunt irritari, sed solum suspendi: quia emissæ sunt ante subiectionem, cum persona adhuc esset sui iuris. tunc enim cum nec voluntas personæ vouentis, nec materia esset alteri subiecta, contracta est obligatio absolute & independentè à consensu alterius; & ita non potest ab eo irritari. Secus verò in iis quæ emittuntur quando vel voluntas personæ, vel materia est perfectè subiecta alteri. quia tunc non potest obligatio con-

trahi per actum vouendi, nisi sub tacita conditione consensus alterius; vt infra magis constabit.

Petes, Quomodo scietur, si irritatio an suspensio dumtaxat? Qui enim potest irritare, potest etiam suspendere.

Respondeo, Id ex ipsis verbis colligendum esse. Si enim is qui potestatem irritandi habet, dicat se irritare vel dissoluere votum alterius, vel nolle vt voto obstrictus sit, non est dubium, quin sit vera irritatio. Similiter si ille sciens votum, dicat, *Nolo id facias.* quia cum non restringat ad tempus, absolute denegat executionem: vnde videtur simul tollere obligationem. Si autem non sit conscius voti, et si deneger executionem operis, non idè censetur irritare; quia voluntas non fertur in incognitum; imò nec suspendere ob eandem causam. si enim sciret votum, fortè non prohiberet executionem. itaque teneris ei aperire vt prober, vel irritet, vel suspendat, prout ei visum fuerit. In dubio, censenda potius est suspensio quam irritatio: quia votum est veluti in possessione obligandi; vnde pro voto interpretatio facienda. Porro quod ad irritationem attinet, difficultas est de tribus votorum generibus: Religiosorum, Impuberum, & Coniugum. de quibus sint tres dubitationes sequentes.

DUBITATIO XIII.

Vtrum Prelatus possit omnia vota Religiosorum sibi subditorum irritare.

73 **S**uppono, Religiosos valide & meritorie posse multa vouere; nempe ea, quæ regulæ vel Superioris præcepto non repugnant: quia vouere, per se est opus consilij, & alias non est Religiosis prohibitum. Vnde obligantur etiam antequam Superior consentiat, aut resciscat, vt rectè Palud. in 4. d. 38. qu. 4. art. 2. Siluest. *Votum* 3. q. 3. Caiet. qu. 88. art. 8. Sotus lib. 7. de Iustitia, qu. 3. art. 1. Nauar. cap. 12. n. 67. & alij passim.

Dices, Cap. 2. Monacho, 20. quæst. 4. dicitur; *Monacho non licet vota vouere sine consensu Abbatis sui; si autem vouerit, frangendum erit.* Confirm. Quia Monachus non habet propriam voluntatem, sed eam transtulit in Abbatem. Ob hoc argumentum Richardus distin. 38. circa quartum principale qu. 1. Maior eadem distinc. qu. 4. & Angelus *Votum*, 2. §. 3. putant Monachum non posse vouere sine Abbatis consensu, & ante illius consensum votum non habere vim. Sed quod diximus est verius.

Vnde Respondeo, Canonem illum esse dubiæ auctoritatis: non enim est alicuius Pontificis aut Concilij: neque est S. Basilij Magni; (etsi Gratianus id insinuet) quia in toto Baltho non est nomen Abbatis. Dicit tamen potest cum Glossa, cap. illud intelligendum de voto abstinentiæ, quo scandalizantur ceteri. Ad confirmationem: Monachus non ita transtulit suam voluntatem in Superiorem, quin in multis, quæ Superior non vituit, sui sit arbitrij.

Aduerte tamen, si vouisti aliquid regulæ repugnans, (vt orare ea hora in templo, qua debes esse in cubiculo) non posse te votum exequi antequam Superior consentiat, & in regula dispenses. Vnde teneris tale votum Superiori indicare: ad hoc enim censuris te tacite obligasse; alioquin frustra factum

Si regula repugnet.

Si materia
mutetur.

factum esset. quod si illud ita voueris, ut clam Superiori intenderis exequi, est irritum; quia materia prohibita. Si autem vouisti aliquid, quod initio non erat prohibitum, postea tamen prohibetur; non potes exequi eo tempore quo durat prohibitio: cessante tamen prohibitione, rursus teneris, & voti obligatio reuiuiscit, quia non fuit irritatum à Superiore; (cum ignarus voti, id non intenderit) sed solum conscriptum ob mutationem materiae.

74
Caietan.

His positis, sunt duae sententiae DD. Prior est Caietan. art. 8. omnia vota Religiosorum à Prælato irritari posse, præter ea quae sunt de rebus necessariis; ut sunt illa quibus vouetur euitatio alicuius peccati venialis vel mortiferi contra præceptum Dei; ut non mentiri, non peccare: & præter votum transendi ad Religionem arctiorem. Quod autem hæc irritare nequeat, causa est, quia materia nullo modo est ei subiecta. neque enim potest præcipere contrarium, aut materiam reddere illicitam, neque potest aliquid imperare, quod executionem materiae impediatur. Hæc sententia est valde probabilis.

75
Omnia posse
in irritum
renouari, &c.

Alter est, Omnia absolute irritari posse à Prælato præter votum Religionis arctioris. Ita Angelus Votum, 2. num. 3. Siluest. Votum, 4. q. 2. Sotus supra. Nauar. nu. 65. & alij, estque fere communis. Hæc sententia videtur verior, & colligitur ex D. Thoma art. 8. ad 3. vbi docet, *Nullum votum Religiosi esse firmum nisi de consensu Prælati*; et si Caietanus id solum intelligat de voto, quod fit de opere consilij, non præcepti. Probat, Quia voluntas Religiosorum debet esse perfecte subiecta & dependens à voluntate Superioris, in omnibus quae ad vitæ directionem pertinent: ergo etiam in nouis obligationibus suscipiendis. Sed hæc ratio non videtur firma; ex ea enim sequeretur, Superiorem posse præcipere vel prohibere actus merè internos, quod tamen communiter negatur. Vnde non puto id valide posse probari ex natura rei, siue professionis, siue status Religiosi; (nihil enim horum tantam subiectionem vel dependentiam voluntatis postulat) sed causa referenda est in dispositionem Iuris. sicut enim ex dispositione Iuris in omnibus votis imuberum est tacita conditio; *Si parens vel tutor non contradixerit*: ita in omnibus votis Religiosorum ex eiusdem Iuris dispositione videtur inesse hæc tacita conditio, *Nisi Prælati contradixerit*, ut docet D. Thomas q. 88. ar. 8. ad 4. Habet enim Ecclesia potestatem ita statuendi in votis & iuramentis, quando iusta causa subest: sicut potestas ciuiliis potest præscribere formulas in contractibus, & apponere conditiones, quae semper intelligi censentur, etiam si à contrahentibus additæ vel cogitæ non fuerint. Subest autem hic iusta causa: quia ut melius Religiosi in via spirituali à suis Prælati dirigantur, expedit ut in omnibus à directione ipsorum pendeant; nec possint se nouis obligationibus etiam circa materiam præceptam implicare, quin Prælati possint eas tollere. Simili modo, quia expediebat, eos qui nondum annos pubertatis impieuerunt, in omnibus dirigi à parentibus, vel iis qui ipsis loco parentum sunt, (eo quod sæpè iudicium illius ætatis non sit satis maturum) statuit ut omnia illorum vota & iuramenta promissa haberent tacitam conditionem, *Si parens non contradixerit*, ut infra hoc capite num. 78. & cap. 42. num. 61. dicitur.

Sed vnde constat, Ecclesiam ita de votis Religiosorum statuisse?

Respondeo, Id colligi ex vsu ipso, & praxi recepta in Religionibus; quæ non potest aliunde quam ex Ecclesiae concessu prouenire.

Excipitur tamen votum arctioris Religionis; *Votum arctioris Religionis.* quia Iura concedunt hunc transitum, etiam inuito Superiore; ac proinde non intendunt tale votum in illius arbitrio constituere. Absurdum enim videtur, ut illud votum in arbitrio Superioris ponatur, per quod extra illius potestatem est constituendus. Confir. Quia neque ratione materiae subest hoc votum arbitrio Prælati, ut constat; neque ratione personæ, quia persona per executionem voti definit esse subdita, & non amplius ad Prælatum pertinere.

Petes Primò, Virum postquam Prælati consensit in votum, possit illud irritum reddere. Richard. distinct. 38. circa 4. princip. qu. 3. & quidam recentiores negant. Ratio ipsorum est, Primò, quia postquam Prælati consensit, non amplius votum est pendens, sed transit in absolutum: tacita enim conditio, quæ inerat voto, est impleta. ergo Prælati nihil amplius habet, quod circa illud agat. Secundò, Si subditus ex consensu Prælati aliquid homini promittat, non potest reuocari: ergo neque si Deo. Iuxta hanc sententiam dicendum est, votum Prælati vetante & impediante solum suspendi, donec impedimentum istud tollatur: quo sublato, vouentem teneri in futurum, si votum ad illud tempus se extendebat.

Contraria tamen sententia videtur communior & probabilior; quamuis si absque iusta causa id faciat, peccet. Tenet Panormit. in cap. Charissimus. num. 4. de conuersione coniugatorum. Siluest. Votum, 4. qu. 2. Caietan. artic. 8. Nauarrus num. 61. Sotus lib. 7. qu. 3. artic. 1. Fumus v. Votum, nu. 12. & alij. Probat, Primò, ex D. Augustino qu. 59. in Numeros, vbi aperte docet, vxorem non teneri amplius voto, si vir contradixerit, etiam si concesserat ante illud impleri. Loquitur autem D. Augustinus de votis iuniorum, & similibus, in quibus vir est caput mulieris. idem ergo dicendum de omnibus Superioribus. Secundò, Quia Superior. per consensum priorem non definit esse Superior, nec censetur amisisse illud, quod habet in subditum, quoad illam actionem. si ergo Superior illam vetet, inferior tenetur obedire. Tertio, Si sit iusta causa, Superior potest irritare: atqui non est inferioris, discutere an talis causa subest; ergo quodcumque Superior irritauerit, potest inferior se absolute censere liberum. Quarto, Successor potest irritare votum Religiosi, in quod Prælati decessor consenserat, ut ipsi fatentur: ergo idem poterat ipse decessor, dum adhuc præset: non enim minus pendebat à priore Prælato, quam à posteriore, nec minor est potestas prioris quam posterioris.

Nec refert, Etiam si Superior, quando consensit in votum, dixerit se ea in re cedere iure suo, se iure.

eximere subditum ea in re à sua iurisdictione; quia inefficax est ea cessio & exemptio, si alter manet verè subditus. vnde tenetur obedire si contrarium imperet. Et si enim Superior mediatas possit subditum à potestate Superioris immediati partim eximere, & partim illi subicere: non tamen id potest respectu potestatis suæ, quia potestatem suam non habet à se, sed ab alio; nec facultatis eius

eius

eius est aut arbitrij, illam partiri, minuere vel augere. Si tamen subditus in ea actione efficeretur sui iuris, & omnino independens à Superiore, tunc Superior non possit validè irritare.

Similiter non refert, etiam si votum collatum sit in tempus quo amplius non erit subditus; quia nihilominus manet subiectus quoad personam; nec per executionem voti est eximendus. Vnde DD. hunc casum non excipiunt, sed generatim loquuntur.

Peccabit mortiferè.

Peccabit tamen Superior mortiferè, si absque iusta causa votum in quod consenserat irritet; vt rectè docet Caietanus ar. 8. dub. 3. & Panormis. in cap. Charissimus. 11. num. 4. de conuers. coniugat. & alij. Idem docet D. Augustinus supra ex illis verbis Numer. 30. *Porcabit ipse iniquitatem eius*, id est, viro imputabitur violatio voti, non mulieri. Ratio est, Quia etsi materia sit viro subiecta, & in eius potestate, tamen ex eius consensu est Deo obstricta. ipse autem impedit ne Deo offeratur. Itaque si materia fit talis, vt violatio voti sit mortifera; irritatio quoque absque causa, mortifera erit. Huius tamen successores qui in votum non consenserat, non videtur peccare tale votum irritando: quia cum non consenserat in illud, non est cur obligetur non irritare, sicut enim iuramentum & votum prioris Superioris, quo promissit non renouare facultatem inferiori a se concessam, non obstringit successorem; ita nec consensus in votum inferioris, quia hæc obligatio personalis, nec transit in successorem. Confirm. cap. Noluit. 33. q. 5. ex D. August. qu. 59. super Numeros. vbi D. August. aperte inlinuat, maritum posse elidere votum quod vxor in puellari ætate cum consensu patris emiserat; & DD. ibi notant id posse absque peccato.

An successor peccat.

Dices, ibi agi de suspensione, non autem de irritatione. Sed si potest suspendere, cur non & irritare; quando votum tale est vt à successore irritari possit: non enim in illud consensit; si enim consensisset, ne quidem suspendere posset absque iusta causa; sicut nec parens, qui consensit, suspendere potest. Sicut ergo prior Superior, quia consensit, absque causa iusta nec irritare potest nec suspendere; ita successor, quia non consensit, vtrumque poterit pro suo arbitrio.

77
Ad rationes.

Ad primam rationem pro sententia Richardi: Non ita fit illud votum absolutum, vt à nulla amplius conditione dependeat; alioquin non posset irritari à Prælo successore. Itaque manet in illo hæc tacita conditio, Nisi aliquando Superior contradixerit: idque merito, quia non decet vt sit litigium inter subditum & Superiorem in iis, in quibus aliàs ille Superior est.

Ad secundam, neganda consequentia: promissio enim homini facta ex consensu Superioris, validè renouari à Superiore non potest; vt rectè docet Sancius lib. 9. de matrim. disput. 4. contra Arragon. 2. 2. qu. 88. ar. 3. Ratio est, Quia in regendo subdito non sustinet locum illius hominis, vt quasi vice illius ius illi acquisitum possit remittere: regit tamen illum loco Dei, & ita potest tollere obligationem, quam ille sibi erga Deum imposuerat. Non tamè potest subditus repugnante Superiore exequi quod homini sic promissit, quia traditio rei & executio à Superioris nutu adhuc pendet.

78

Petes Secundò, quando Superior censetur consentire in votum subditi. Resp. Non sufficere

taciturnitatem & dissimulationem, quamuis sciat votum, nam potest id facere vt videat successum, vel vt maturius deliberet: & nihil est quod illum vrgeat statim consentire vel dissentire. Imò etiam cum expressè petitur consensus vouendi, sæpè differt responsum. Pari modo non sufficit vt faciat subdito potestatem operis, si votum ignorat, quia etsi consentiat vt aliquod opus facias; non idèò consentit vt nouam tibi obligationem ad illud faciendum imponas. Si voti est conscius, & consentit in opus, præsumitur consentire in obligationem voti: quia idèò videtur consentire vt votum impleas. Si non intenderet per hoc approbare votum, non confirmaretur. Sufficit etiam consensus Superioris in votum, etiam si subdito non innotuerit, quia non requiritur acceptatio subditi, sicut in promissione, donatione, & contractibus, siue enim subditus acceptet illum consensus, siue repudiet, si Superiori placet votum, verè ratificatur. Imò sufficit ad hoc consensus internus, vt rectè docet Sancius lib. 9. de matrim. disput. 40. Ratio est, Quia iste consensus primariò non respicit subditum, sed Deum, cui ius acquiritur, sicut si meus subditus tibi aliquid promittat sub meo beneplacito, & ego tibi clam inuenem mihi placere, ille obligabitur; nec potero renouare. Econtrariò si Superior fide consentiat, exterius concedens, & interius contradicens, non ratificabitur; sed postea liberè poterit irritare.

Quando censetur consentire.

Petes Tertio, Vtrum sicut votis Religiosorum Iure inest tacita conditio, Nisi Superior repugnauerit, ita possit quis statuere vt suis votis similis conditio in sit respectu confessarij.

79

An in prioris talis conditio.

Respondeo, Quadam ratione id fieri posse; vt si quis ad vouendum procliuor, protestetur coram Deo se nullum votum velle absolute esse firmum, nisi confessarius illud approbauerit. Quod confirmatur, Quia potest quis ita statuere de promissionibus faciendis homini, præsertim si hanc suam ordinationem explicet illi, cui promissio facienda est; ergo etiam de promissionibus faciendis Deo. Itaque tale votum poterit à confessario irritari nisi vouens renuntiauerit illi conditioni, seu nisi à priore mente recesserit: quod non censetur fecisse, nisi expressè intenderit; vel nisi ita affectus sit dum vouet, vt etiam si recordaretur illius conditionis, noller eam in hoc voto locum habere; imò illam ex vi illius affectus excluderet. quibus euentis votum censetur absolutum, nec confessarius poterit irritum reddere.

Addo, Neminem posse vllò proposito vel protestatione votis futuris eam conditionem apponere, quin postea, si velit, possit eam renouare, & absoluta vota facere; nisi forte se alteri quoad materiam voti antea per obedientiam subiecerit, ita vt ea in re non amplius sit sui iuris; quia quamdiu manet sui iuris, potest prius propositum mutare, & absolute absque vlla ad alterum dependentia obstringere.

Petes Quarto, Vtrum vota Nouitiorum possint à Prælo irritari. Respondeo, Non posse irritari; siue emissa sint ante ingressum, siue in ipso Nouitiatu. Ratio est, Quia nec ratione imperij in voluntatem personæ, nec ratione materiæ sunt illi subiecta, cum Nouitij adhuc sint sui iuris. Quòd si, cum vota fecerunt, suberant parentibus vel curatoribus, qui ea potuissent irrita reddere, poterit etiam Prælatus, qui in potestatem parentum &

80

Vota Nouitiorum.

caratorum ad regendam illorum voluntatem succedit; vt infra dubit. 15. dicitur. Possunt tamen vota illorum, cum irritari nequeunt, à Prælo suspendi; quia subest iusta causa differendi executionem, cum satis grauentur exercitiis probationis. quod intellige quando executio voti est impedimento probationi; alias non possunt, vt docet Siluest. *Votum*, 4. qu. 7. ex Paludano. Vnde vota realia non possunt à Prælo suspendi: possent tamen huiusmodi vota commutari in onera Religionis à Prælo vel Confessario, & vt quibusdam videtur, etiam ab ipso Nouitio; quia est commutatio in id quod aperte melius est. Hoc tamen casu tenebitur ex voto ad ea opera, in quæ commutatio facta fuerit.

Potest nihilominus Prælati in votis Nouitiorum dispensare; quia in illos habet iurisdictionem quasi episcopalem: non enim decet vt in difficultatibus, quæ Nouitiis in probatione occurrunt, adeatur Episcopus. ita Sancius lib. 9. disput. 39. Imò potest Prælati dispensare cum Nouitio vt promoueat ad sacros Ordines, vt docet Siluest. v. *Dispensatio*, num. 20. Et Angelus eodem, num. 8. & aperte constat cap. *Monachus*, d. 77. Vnde colligit Sancius, posse cum Nouitiis dispensare in iis, in quibus cum professis. Imò potest cognoscere & iudicare eorum crimina etiam grauia, vt homicidia, adulteria eorum Nouitiatu perpetrata, vt docet Azorius libro 12. cap. 2. q. 11. ex Nauarro. quia fauore Religionis exempti sunt à ciuilibus magistratibus. Potest etiam Episcopus in votis Nouitiorum dispensare, sicut in votis secularium; quia nondum ab eius iurisdictione planè exempti.

Quando votum fuit diuinitaxat suspensum, reuincit obligatio, si contingat illum egredi ante professionem. Si professionem fecerit, omnia ex dispositione iuris commutantur in votum professionis, vt infra num. 106. dicitur.

Ex dictis responderi potest ad dubium illud, Vtrum Summus Pontifex omnia vota laicorum irritare possit. Videtur posse, quia est omnium Superior; ac proinde eius auctoritas vbique videtur excepta.

Sed hæc sententia non est probabilis. vnde contrariam tradit D. Thomas q. 88. ar. 2. ad 2. & Caietan. *ibid.* dub. 2. circa resp. ad 2. & alij passim. Probatur, Quia neque ratione materia omnia vota sunt illi subiecta; neque ratione subiectionis persona. Non ratione materia; quia non omnia negotia priuata & publica singulorum, nec omnia bona opera, siue præcepti sint siue consilij, ab ipso arbitrio pendent, sed ea tantum, quæ totam Ecclesiam spectant. Vnde non potest impedire ne laicus ieiunet, ne peregrinetur, oret, humi cubet, elemosynam largiatur, &c. Non ratione subiectionis persona; quia non ita sunt illi subiecti vt habeat dominium in eorum voluntatem, possitque in omnibus illam regere, sicut Prælati regularis regit voluntatem suorum subditorum. alioquin laici non minùs essent subiecti Pontifici in regimine vitæ, quam religiosi suis Prælati: & pro suo arbitrio possent, etiam sine causa, vota Religionis & castitatis in irritum reuocare. Itaque in votis illorum non inest illa tacita conditio, quæ eius consensum respiciat. Idem dicendum de votis Clericorum secularium: nisi materia voti ab ipso arbitrio & dispositione pendeat. Vt si

voceat quis resignare beneficium suum in uorem Monasterij: si Episcopus voceat longam peregrinationem, aut ingredi Religionem, aut non egredi suam diocesim.

DUBITATIO XIV.

Vtrum vota impuberum possint irritari, & à quibus.

Respondeo & Dico Primò; Vota omnia impuberum, (id est marium vsq; ad annum 14. expletum, feminarum vsque ad 12. expletum) in irritum reuocari possunt à patre. Colligunt id DD. ex c. 14. *Mulier*. 32. q. 2. & ex c. 1. de Regularibus in 6. & cap. Ad nostram. 8. extra. eodem. est communis sententia. Idem dicendum de tutore, qui pupillo est loco patris. Mater tamen non potest, nisi mortuo patre sit loco tutoris; quia non ipsa, sed tutor habet patriam potestatem. Quidam putant idem posse magistrum vel herum, si pupillus parvulus & tutoribus careat; quia est loco patris: quod videtur rationi consonum. Ratio cur Iura sic statuerunt est, quia ante illud tempus non præsumuntur passim habere satis iudicij vt mature de huiusmodi rebus statueri possint. itaque ne imprudenter se votis inuoluant, voluit Ius omnia illorum vota esse subiecta potestati eorum, quibus subiunt; per tacitam conditionem, quæ votis inest.

Petes Primò, An hæc vota post illud tempus irritari ab ipse dem possint: Sotus lib. 7. q. 3. ar. 2. putat non posse; quia iam non amplius illis ita subiunt, sicut dominus votum serui emissum in seruitute, non potest irritum reddere post seruitutem; cò quòd iam sit extra ipsius potestatem.

Sed contrarium est verius. Ita tenet Caietan. q. 189. ar. 5. & Nauar. cap. 12. num. 71. Lopez p. 1. c. 48. & alij. Ratio est, Quia illud votum ex interpretatione Iuris erat conditionarum; nempe si pater vel tutor non contradixerit. quam conditionem per tractum temporis non amittit. supponimus enim, nullam circa ipsum votum mutationem esse factam, neque illud in ætate pubere fuisse ratificatum. Itaq; cum conditio adhuc maneat, & firmitatem voti quasi suspensam teneat; si pater nolit esse firmam, desinet obligatio.

Nec obstat quòd filius habuerit intentionem seruandi, aut postea fortè illud renouauerit; quia hæc omnia ex errore prouenerunt, quo putauit votum suum ab initio firmum absolute fuisse; vnde non sufficiunt ad ratificandum. Vt enim quis censetur aliquid ratificare, necesse est vt sciens esse inualidum, velit esse validum; vel si nihil de ea re sciat, vt saltem intendat illud confirmare etiam eo euentu quo inualidum fuisset; vt rectè docet Nauarrus ex Caietano supra.

Ad rationem Soti Respondeo, Esse disparem rationem: nam dominus solum potest irritare votum serui, quatenus officit illius obsequiis; non quia iudicium illi non satis maturum, vnde quando non amplius potest officere, non potest irritare. vota autem impuberum possunt irritari, quia ea ætate emissã, quæ sæpè iudicij maturitate caret; quæ qualitas temper manet in illis votis, nisi de nouo confirmentur.

Petes Secundò, Quid dicendum de votis impuberum, quæ conferuntur in tempus pubertatis; vt si voceant aliquid exequendum cum adoleuerint.

Respon-

81
Vota laicorum.

82
Vota impuberum.
Pater & tutor.

83
An post tempus pubertatis.

Verius est posse irritari.

Ratificatio.

Ad rationem Soti.

84
Vota conferuntur in tempus pubertatis.

Respondeo, Hæc eodem modo irritari posse. Ita sentit Silu. Votum. 4. q. 2. & Religio 2. n. 15. ex Panormit. in cap. Scripturæ 4. de voto & voti redemp. Nauar. num. 67. Sotus lib. 7. quæst. 3. ar. 2. Ratio est, quia omnia vota impuberum habent tacitam conditionem ex dispositione Iuris, ob ætatis illius imprudentiam, quæ in omnibus illorum votis locum habet. Idem dicendum de votis Religiosorum, quæ referuntur ad tempus, quo non fuerunt Prælati; quia hæc vota in fauorem Religionis similem conditionem habent, vt antè dictum est, & tenent Auctores prædicti.

85
Vota puerorum.

Dico Secundo, Vota puerum, (id est, quæ nuncupata sunt post annum 14. impletum in matre, & 12. in femina) non possunt à parentibus irrita reddi, nisi quatenus disciplinae familiae, & patriæ potestati obtinent. Horum enim vota solum subsunt parentibus ratione materiae, non ratione dominij in voluntatem. Itaque votum Religionis, castitatis, sacrorum Ordinum, certarum precum, confessionis, communionis, & similia, irritari non possunt. Secus de votis ieiuniorum, præsertim multorum, peregrinationum, & similibus; quia hæc ad gubernationem domesticam pertinent. Realia quoque irritari possunt (nisi fortè habeant bona castrensia vel quasi castrensia) non solum à parente, sed etiam à curatore vsque ad vigesimum quintum ætatis, quia antè illud tempus non habent administrationem. Ita Siluest. Votum. 4. q. 2. Nauar. num. 64. Lopez c. 47. & alij. secus tamen est de votis realibus relatis in tempus, quo erunt sui iuris: quia non officium administrationi curatorum.

86
Vota seruorum.

Dico Tertio, Vota seruorum seu mancipiorum irritari possunt à domino, quatenus eius obsequio possunt esse impedimento, vt votum peregrinandi, recitandi horas canonicas. Si ante seruitutem, cum essent sui iuris, emissa sint, non possunt irritari propriè, sed suspendi. Si non impediunt, non possunt, vt votum castitatis, votum se non inebriandi, signandi se cruce, commendandi se Deo, &c. & omnia illa, quæ referuntur ad tempus finitæ seruitutis.

Voti serui completi sunt tempus libertatis & seruitutis.

Petes, Quid si ad vtrumque tempus referatur, vt si seruus voueat toto tempore vitæ recitare officium diuinum. Siluest. Votum. 4. q. 2. §. Quintum. putat tale votum posse simpliciter à domino irritum reddi, sicut professio viri inuita vxore facta, est ita irrita, vt ne post mortem quidem illius teneatur ad Religionem redire; vt patet cap. Quidam, de conuers. coniugar. & cap. Placet nobis. eodem.

Sed verius est, non posse irritari nisi pro tempore, quo domino erit subiectus; quia solum illo tempore potest domino obesse: nihil autem ad dominum pertinet, quid postea acturus sit.

Ad argumentum Siluestri Respondeo, Qui proficitur inuita vxore, non obligatur post mortem ingredi: quia id nullo modo promissum aut intentum; non enim mens ipsius erat, vt si nunc impediretur, teneretur ingredi vxore mortua, iam tenex factus. Neque dici potest, eum teneri ratione professionis; quia hæc iure fuit inualida, vxore nolente consentire: nemo enim potest donare quod est alterius. Vnde etiam non tenetur ad paupertatem & obedientiam Prælati; quia hæc non habent locum nisi in Religione; nec alia ratione intendit se ad illa obstringere. Ad castitatem ta-

men tenetur ex interpretatione Iuris, quia hanc vouere poterat inuita vxore. Vnde Ius præsumit illum voluisse hanc absolute vouere. itaque non potest petere debitum: & post mortem vxoris non potest aliam ducere. Secus tamen in conscientia, si non fuit animus se obstringere ad castitatem nisi in statu religioso. quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis. Tenetur tamen petenti reddere; quia contrarium promittere non poterat sine ipsius consensu. at ille, de quo agimus, directè vouet facere perpetuò, id est, in seruitute & post. vnde potest tenebitur voto; quia nemini obest: sicut ille post mortem vxoris tenetur seruare continentiam.

DUBITATIO XV.

Utrum coniunx possit omnia vota coniugis irrita reddere.

Notandum est, vota coniugum, de quibus hinc 87 agitur, posse esse emissa vel ante coniugium initum, vel post coniugium ante consummationem, vel matrimonio iam consummato. Rursum, vel eo tempore quo coniunx iam est sui iuris, vt quando aliter commisit adulterium, aut damnatus est hærescos, vel quando coniugi est obnoxius. Denique vel ita sunt emissa, vt sint exequenda constante matrimonio, vel collata sunt in contemptu, quo vouens erit sui iuris.

His positis, multi DD. sentiunt maritum posse irritare omnia vota vxoris constante matrimonio emissa, & implenda; sicut Prælati potest irritare omnia vota Religiosi, & parens omnia vota puellæ impuberis. Ita expressè videtur tenere D. Thomas qu. 88. artic. 8. ad 3. *Nullum*, inquit, *votum Religiosum est firmum, nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existens in domo, nisi sit de consensu patris; nec vxoris, nisi sit de consensu viri.* Idem docent Panormit. in cap. Charissimus. 11. num. 5. de conuers. coniugar. Sotus lib. 7. de Iustitia qu. 3. art. 1. Abulenti in cap. 30. Numerorum, qu. 80. Lopez p. 1. cap. 47. dicit esse latistatam. Eandem vt probabilior tenet Sancius libro 9. disput. 39. & citat pro ea multos recentiores viros doctissimos. Probatur Primò, Quia vir est caput vxoris in omnibus præterquam in actu coniugali. ad Ephes. 5. *Mulieres viris suis subdita sint, sicut Domino; quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie. sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Secundo, probari potest ex D. Augustino q. 59. super Numeros, & Scriptura ipsa c. 30. Numerorum. Nam eodem modo loquitur de voto vxoris, & puellæ quæ est in domo parentum; & vult neutram vllò voto teneri, si ille cui subsunt contradixerit. Tertio, Quia consentaneum erat, Deum ita constituere ob leuitatem, inconstantiam, & imprudentiam sexus muliebris, qui se facile votis impleat.

Hæc sententia est satis probabilis, & ex ea sequitur Primò, maritum etiam irritare posse votum continentia vxoris suo consensu factum. excipe tamen nisi ipse expressè cesserit iure petendi; aut nisi mutuo consensu & ex pacto vtrumque sit emissum, vt infra dicitur. Confirmari potest ex loco illo Num. 30. Nec obstat, quòd ibi agatur de votis abstinencia: quia votum continentia est votum absti-

87
Maritum
posse omnia
irritare.

88
Est probabile.
In voto
continentia.

abstinentiæ, vt docet Panormitanus in d. c. Charissimus, num. 5. idque probat ex cap. 24. Si tu abstines. 27. quæst. 2. ergo cum Ius diuinum & humanum det marito plenum ius in votis abstinentiæ, etiam dat in voto continentiæ. Confir. Quia vxor subiecta est viro non solum ratione materiæ, sed etiam ratione directionis voluntatis; ne nouis obligationibus sese sua imprudentia & leuitate implicet, etiam circa materiam viro non subditam.

In voto de necessariis.

Secundò, Polle etiam irritare votum de rebus necessarijs seu præceptis, vt de non mentiendo, non fornicando, de audiendo Sacro, & familia: ob eandem causam, quia subest illi quoad directionem voluntatis.

In voto relato in futurum.

Tertiò, Idem dicendum quando executio voti refertur in tempus, quo nec materia nec persona erit coniugi subiecta. Sufficit enim vt eo tempore quo votum fit, persona sit plenè subiecta: tunc enim obligatio contrahitur, ac proinde à marito pendet eius confirmatio vel irritatio. Nec refert etiam si sit votum castitatis vel Religionis; nam eadem est ratio, vt supradicti Auctores docent.

Hæc sententia, vt dixi, in praxi est probabilis.

89 Contrarij verius.

Verùm contraria videtur verior & probabilior. Ea tantum vota vxoris à marito irritari posse, quæ vel iuri eius incommodant, vel ad familiæ administrationem pertinent. Ita expressè docet Angelus, Votum, 2. num. 8. Siluest. Votum, 5. num. 2. & 3. Nauarrus cap. 12. Enchiridij, num. 64. citans Angelum & Siluestrum, idem docet D. Antoninus p. 3. tit. 1. cap. 22. in principio, & passim Canonista.

Probatur Primò, Quia vxor non est subiecta viro, sicut subditus Prælato, aut impubes patri, sed sicut focia minor maiori. Nec est ea iudicij tenuitate, vt in omnibus à viro dirigi debeat, sicut impubes à patre. Secundò, Quia si tanta esset subiectio vxoris erga virum, id proueniret ex Iure illo quod habetur Numerorum 30. vnde Doctores hanc sententiam maximè probare solent, sed hoc Ius est carimoniale vel iudiciale, pertinens ad politiam illius populi; ac proinde cessauit per mortem Christi, nec vllam modò vim habet. Confir. ex alijs, quæ ibidem habentur. Non enim est lex naturæ, vt pater posset omnia vota puellæ, quamdiu in eius domo manet, irrita reddere: neque vt sola taciturnitate parentis vel mariti vota firmentur; neque vt votum ratum sit, si statim non contradixerint, est igitur ista lex carimonialis. Adde, loco illo Num. 30. agi tantum de votis abstinentiæ quarundam rerum, vt colligitur ex fine cap. & ex D. Augustini. explicatione. Neque sub nomine abstinentiæ ibi videtur posse comprehendendi continentia; quia tunc non erat tempus continendi. Idem expressè docet Gratianus 33. qu. 5. cap. fin. Confir. Secundò, Quia Ius naturale non dicitur tantam subiectionem vxoris ad virum, cum non solum sit subdita, sed focia etiam in familiæ administratione, et si viro subordinata. Imò nec in Religiosis, nec in impuberibus, lex naturæ tantam subiectionem, nec tantum dominium in ipsorum voluntatem Prælato aut patri concedit. Vnde & illa distinctio quæ est in votis puberum & impuberum (de qua supra dub. 14.) non est ex lege naturæ, sed ex Iure positiuo.

90 Ad ratio- nes.

Nec obstat, quòd vir sit caput mulieris; & quòd Apostolus ad Ephesios 5. præcipiat vt mulieres vi-

ris suis subiectæ sint in omnibus, sicut Ecclesia Christo. Hæc enim commodè intelligenda sunt, nimirum in ijs quæ ad familiæ administrationem pertinent. In ijs enim quæ pertinent ad actum coniugalem, non est ipsa magis subdita viro, quàm vir ipsi; itaque est viro par. Simili modo Apostolus ad Tit. 2. monet seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, & in omnibus bonam fidem ostendentes: non tamen idcirco dominus omnia seruorum vota irritare potest, sed solum quæ iuri ipsius officiant. Deinde in multis vxor non est subdita viro, nec tenetur ei morem gerere, nisi ratione scandali; vt videntur odia, lites, blasphemie. Nullo enim Iure potest ei maritus prohibere ne det eleemosynas de suis paraphernis, vt inquit Angelus & Siluester supra, aut ne interdum det eleemosynas de bonis communibus; ne moderatè corpus domet, ne vespere & mane oret. poterit ergo hæc vouere, & exequi, etiam inuito marito. Cauere tamen debet ne hæc faciat cum ipsius scandalo: & huc maximè spectat Apostolus, cuius sententia non habet vim præcepti, nisi ratione materiæ vel scandali.

Itaque vir non poterit irritare vota vxoris de rebus præceptis, vt de non omitendo Sacro diebus festis, de non mentiendo, &c. neque ea quorum executio refertur ad tempus soluti matrimonij; quia nullo modo ipsius iuri incommodant; neque vota certarum precum, aut eleemosynarum de rebus quarum integram habet administrationem. poterit tamen vota ieiuniorum, præsertim quibus posset fieri ineptior ad vsum matrimonij, peregrinationum, humi cubationum, habitus simplicioris, &c.

Vt autem hæc omnia distinctius explicentur,

Dico Primò, Vota quæ facta sunt à muliere ante matrimonium in initium, non possunt postea à viro irritari propriè, sed solum suspendi. Ratio est, Quia quando obligatio est contracta, ipsa erat sui iuris; neque ratione materiæ, neque ratione gubernationis voluntatis viro subdita, vnde non habebant tacitam illam conditionem, Nisi maritus contradixerit, quare non possunt ab eo irritari; nisi irritatio accipiatur latè, vt comprehendat etiam suspensionem, vt sæpè accipitur à DD. Possunt autem suspendi, vt apertè colligitur cap. 15. Noluit. 33. qu. 5. ex D. Augustino q. 59. in Exodum. Ratio est, Quia executio potest esse viro molesta; & non deceat vt ea fiat ipso repugnante: soluto tamen matrimonio, vel vxore sui iuris effecta, reuiuiscit vis voti, & tenebitur exequi, si vsque ad illud tempus votum se extendebat.

Dico Secundò, Si tamen mulier erat impubes cum votum faceret, vel si votum erat tale vt à parente vel tutore posset irritari; probabile est, etiam à marito posse. Colligitur ex d. c. Noluit. Nam agitur de voto puellæ factò cum esset sub potestate patris, in quod pater etiam consenserat. multò ergo magis poterit irritare votum, si is cui suberat non consenserat. Ratio est, quia maritus succedit in locum parentis, tutoris & curatoris ad gubernandam eandem voluntatem, eiusque leuitati & imprudentiæ succurrendum, ergo sicut votum, quod emisit eo tempore quo parenti vel tutore erat subiecta, erat pendens ab eorum consensu; ita etiam pendet à consensu mariti, qui in horum potestatem succedit. Nam potestas prima quasi continuatur, et si in diuersis subiectis. Vnde sequitur, si puella

91

Vota ante matrimonium edita.

92

Si ante pubertyatem.

Successor in eadem potestate.

puella emisit votum castitatis aut Religionis ante pubertatem, vel realia post pubertatem adhuc minor existens, id est, ante vigesimum quintum annum expletum, absque eorum quibus suberat facultate; maritum posse ea irritare, etiam ante consummatum matrimonium. quia statim per ipsum contractum matrimonij rati succedit in illorum potestatem. Ita Sancius lib. 9. de matrim. disp. 4. l. n. 4. Quæ omnia rectè procedunt secundum priorē sententiam, quæ marito plenam potestatem in omnia vxoris vota concedit, quam diximus esse satis probabilem. In altera non procedunt nisi in votis quorum executio auctoritati mariti potest officere, in quibus vxor tenetur illi parere.

93
Si carebat
tutore vel
curatore.

Dico Tertio, Si carebat parentibus vel tutoribus cum votum faceret, maritus contracto matrimonio adhuc poterit irritare, modo ipsa tunc temporis, cum sibi obligationem imponeret, fuerit in ea ætate, in qua filiorum vota à parentibus, tutoribus, vel curatoribus irrita reddi possunt. Ratio est, Quia toto illo tempore, quo secundum leges congruit ei habere tutorem vel curatorem, votum pendet ab illius arbitrio, si contingat illum constitui: atqui maritus succedit in eandem potestatem; ergo etiam ab eius arbitrio pendet. Ita Sancius supra.

Idem dicendum de aliis qui parentibus vel tutoribus carent, & alicui magistro, domino, vel Superiori postea subesse incipiunt. Hinc dominus potest irritare vota serui impuberis omnia, etiam personalia; & omnia realia puberis. quia est ei loco tutoris & curatoris. secus si erat maior: tunc enim solum sibi præiudicantia, vt supra dictum est. Simili modo si Nouitius in sæculo vel in Nouitatu emisit vota in ea ætate, in qua parens, tutor, vel curator potuisset ea irritare: eadem poterunt etiam à Prælo Religionis irritari, cum in illorum potestatem succedat, vt ibidem Sancius notat.

94
Vota ante
consumma-
tum emis-
sa.

Dico Quarto, Vota vxoris emissa contracto matrimonio ante consummationem, possunt eodem modo irrita reddi à marito, sicut emissa consummato matrimonio, excepto voto castitatis & Religionis. Ratio est, Quia auctoritas mariti in vxorem acquiritur per ipsum contractum. Itaque si vxor aliquod votum fecit in iis in quibus ipsi est superior & caput, potest illud ab eo in irritum reuocari.

Votum Re-
ligionis.

Excipio Primo, Votum ingrediendæ Religionis; tum quia ius facit ei potestatem ingrediendi etiam inuito marito: tum quia per huius voti executionem constituta est extra mariti potestatem. Vnde par non est vt maritus possit irritare. Si neglecto voto matrimonium consummarit, non poterit absque consensu mariti intrare. quia consummato matrimonio illud ius intrandi amisit, & tenetur marito adherere, ei que debitum reddere. cum que non vouerit castitatem, poterit etiam petere; mortuo marito tenetur voto satisfacere: quia non fuit extinctum, sed suspensa executio. idem dico si maritus adulterium committat, aut velit pariter conuerti, vt infra cap. 41. dub. 5. dicitur.

Probabile tamen est, matrimonio consummato, maritum posse illud votum irritare. Ita enim tenent DD. primæ sententiæ initio allatæ: quo casu non tenebitur marito mortuo intrare. Quod si ante consummatum matrimonium voueat Religionem in tempus soluti matrimonij; maritus

poterit hoc votum, iuxta prædictam sententiam, irritare. quia per executionem huius voti vxor non erat constituenda extra illius potestatem. quod si maritus non irritauerit, peccabit ipsa quidem mortifere, si illo mortuo ad secundas nuptias tranfierit; quia faciet contra votum: hic tamen maritus secundus poterit illud irritare: quia in ius prioris mariti, à quo illud pendeat, succedit.

Secundo, Excipio votum castitatis ante consummatum matrimonium ab vxore emissum. hoc enim, secundum veriorē & communiorem sententiam, à marito non potest irritari. Vtū autem teneatur ingredi Religionem; vt voto faciat satis, dicitur infra cap. 41. dubit. 6. Si matrimonium consummanerit, non potest integram castitatem seruare, sed tenetur reddere debitum. itaque ex hac parte non eget irritatione. non tamen potest petere, nec maritus votum illius quoad hoc irritare potest, vt plerique Doctores nobiscum sentiant. Iuxta tamen aliorum probabilem sententiam supra num. 87. relaxam poterit maritus hoc votum absolute irritare ratione iuris quod habet non quidem in materiam, sed in personam; ac proinde etiam obligationem non petendi tollere: quo pacto poterit ipsa, etiam petendo, matrimonium consummare.

Votum ca-
stitatis.

Dico Quinto, Vota ab vxore consummato matrimonio facta, secundum veriorē sententiam non possunt irritari à marito, nisi quatenus eius iuri incommodant, vel materia eius iurisdictioni subest: secundum tamen probabilem multorum opinionem possunt irritari omnia (vt patet ex supra dictis) exceptis istis, quorum primum est, Votum castitatis vxoris factum non solum consensu mariti, sed etiam ipso iure petendi cedente. quo casu cum ipse non retineat ius petendi nisi remotum, & quali in radice (quatenus videlicet vinculum essentialē matrimonij perseverat) potest ipsa liberè negare petenti: ac proinde tenetur negare, quia tenetur seruare votum quantum potest.

95
Consum-
mato ma-
trimonio.

Prima ex-
ceptio, vo-
tum casti-
tatis vxor-
is.

Dices, Maritus semper manet superior, ac proinde et si non habeat ius in materiam, habet tamen ius in voluntatem vxoris ad eam in omnibus dirigendam. ergo poterit adhuc irritare: sicut Prælatus et si iure suo cesserit apud inferiorem, nihilominus votum eius irritare potest, vt supra diximus. Resp. Hoc argumentum valde confirmat sententiam nostram. quia videtur conuincere, maritum non habere ius in voluntatem vxoris, quale habet Prælatus in voluntatem subditi, & pater in voluntatem filij impuberis: & consequenter non posse omnia vxoris vota irritare, quamuis absque consensu eius sint facta. Nihilominus tenendo alteram sententiam, dici potest, maritum posse restringere suam potestatem, quam habet in vxorem, faciendo illam ex parte sui iuris: hoc autem non potest facere Prælatus erga subditum. Ratio est, Quia potestas Prælati est ex regula, & ex approbatione Ecclesiæ; quorum neutrum ipse potest mutare, aut vim & effectum priuato pacto impedire vel restringere: at potestas mariti in vxorem est ex contractu priuato. Vnde vel in ipso contractu limitari (vt si addatur vt vxor habeat administrationem dotis,) vel postea nouo pacto superueniente restringi aut suspendi potest.

Dixi, non solum consensu, &c. Consentiendo enim simpliciter, vt vxor voueat castitatem, non videtur cedere iure petendi, vt illius sententia

Consentien-
do vt vxor
voueat, an
iure suo
cedat.

Auctores docent; quia non censetur sibi in tantum velle praiudicare, nisi id explicet; praesertim cum ille consensus operetur aliquid: partim vt votum sit firmitus, cum ipse sine peccato mortali non possit irritare; partim vt licite fiat. debet enim vouens se iungi toro; alioquin exponeret se periculo violandi voti: non potest autem toro separari sine consensu mariti; quare nec licite absque eius consensu tale votum edere. Hoc tamen votum solum obligabit illam ad non petendum debitum, & ad abstinendum a fornicatione, aliisque peccatis luxuria: tenebitur tamen marito petenti reddere debitum; nec maritus petendo peccabit, cum nec ipse vouerit, nec iure suo cedere cogitauerit. Quod si maritus hoc votum postea irritauerit, peccabit quidem mortiferè; valida tamen erit irritatio, vt docet Sotus lib.7. de Iustitia qu. 3. ar. 11. Arragon. qu. 88. ar. 8. Saneius lib.9. de matrimonio, disp. 40. n. 17. vbi pro hac sententia citat multos alios recentiores, ita vt hæc sententia sit satis probabilis: etsi contrariam putem veriozem.

96 *Secunda exceptio.* Secundò excipitur votum quo vterque mutuo consensu & ex pacto vouet castitatem. Tunc enim maritus non potest votum vxoris irritum reddere, nec vxor viri; vt expressè docet D. Augustinus epist. 199. ad Ediciam. Consentiant DD. in 4. d. 32. & Canonista. Ratio est, quia vterque ita ex pacto vouendo, omni iure suo ad actum matrimonij cedere censetur, vel etiam expressè cedit, vt patet ex cap. Dudum, de conuers. conjugat. Ideò enim mutuum consensum & votum exigunt, vt se omnino tutos praesentent a mutua petitione: at non essent omnino tuti, nisi renuntiarent omni iuri, quod ad illum actum habent. qui enim iuri suo non renuntiavit, potest alterum cogere ad reddendum: eo autem renuntiato non potest. Ad quòd etiam non parum iuuat illud votum, quo renuntians iuri erga coniugem, obstringit se Deo. Nam petendo non solum iniuriam faceret coniugi, sed etiam esset sacrilegus & infidelis in Deum. Constituit ergo alter alterum extra ius suum & iurisdictionem, facitque omnino sui iuris in actu matrimonij, vnde non retinet vllam auctoritatem irritandi aut suspendendi voti alterius. Tertiò excipitur votum quo vterque ex pacto vouet ingressum Religionis; vel maritus susceptionem Ordinis sacri, vxor castitatem in saeculo si est vetula, & extra periculum incontinentiae; vel ingressum Religionis, si est iuuenis aut in periculo. Ratio est, Quia cum hoc votum tendat ad perfectam separationem, & mutationem status in quo seruent perpetuam continentiam, videntur renuntiare iuri reuocandi. Ita Saneius supra. Confirmatur, Quia vterque per tale pactum voto firmatum acquisiuit ius iustitiae ad exemptionem a iurisdictione & seruitute mutua, possuntque se mutuo ad executionem vrgere & cogere. ergo non videntur ius irritandi referuasse. Secus tamè est, si mutuo consensu voueant, se soluto matrimonio seruaturus castitatem. quo casu docet Saneius, maritum posse votum vxoris validè irritare; quia per executionem, status non est mutandus, sed supponitur mutatus, quando executio fiet, & aliàs nullum fit prauidicium vxori illa irritatione. peccaret tamen mortiferè irritando; quia antè consensit. Idem dicendum de aliis mutuo consensu factis, quae non murato statu sunt exequenda: quia vxor manet sub potestate viri.

96 *Tertia exceptio.*

Dico Sextò, Facto diuortio ob viri adulterium, aut condemnationem haereticos, si vxor aliqua vota faciat, non poterit vir postea reconciliatus illa irritare, sed tantum suspendere, sicut si ante matrimonium emissã fuissent. Ita Saneius lib. 9. disp. 39. num. 40. Ratio est, Quia cum vxor vouit, erat sui iuris, & omnino independens a potestate mariti, vnde eius vota perinde se habent ac si ante matrimonium facta fuissent: in quibus maritus solum habet ius suspendendi, vt dictum est supra num. 91.

Dico Septimò, Vxor non potest vlla viri vota in irritum reuocare, nisi quatenus eius iuri officiant. Est communis DD. Ratio est, Quia cum sit subdita, non habet vllam auctoritatem in virum, nisi quatenus habet ius in materiam, nempe in iis in quibus vir ex lege matrimonij vel alterius contractus tenetur se vxori accommodare, vt in actu matrimonij, in coniunctione tori & domicilij, & similibus, in quibus requiritur consensus vxoris. Vnde si vouit gestare habitum religiosum, si longa ieiunia, si cubare humi, praesertim ad longum tempus, si longas peregrinationes absque graui causa, potest vxor irritare, si tamen subfit voto grauis causa, non potest irritare; vt si voueat assumere crucem in subsidium Terrae sanctae, vel contra haereticos aut infideles, vt passim docent Doctores.

Sed quid si maritus vouerit non petere debitum? Respondeo, Multi DD. putant, vxorem tale votum posse irritum reddere: quia ipsi onerosum & verecundum semper petere. Ita D. Thomas in 4. d. 32. qu. vnica ar. 4. ad 1. vbi dicit hoc esse probabilius. Idem sequitur Nauar. c. 12. num. 60. & multi alij, estque satis probabile.

Contrarium tamen videtur verius, & tenet D. Thomas quodlibet. 3. artic. 18. Gratianus in cap. fin. 33. quaest. 5. & multi alij. Confirmatur ex cap. Quidam. 3. de conuersione conjugatorum; vbi dicitur, eum, qui inuita vxore professus fuerat, etsi professio non valuit, non posse petere debitum: *quia cum esset in eius potestate id promittere, votum quo ad hoc tenuit, secus tamen esse quoad non reddendum debitum: quia id non erat in eius potestate.* Et cap. Placet. eodem tit. idem dicitur de muliere, quae cum maritum putaret mortuum, professionem fecit. Ratio est, Tum quia onus petendi, quod imponitur coniugi, est parui momenti; potest enim minimo indicio petere; & alter tenetur se tunc paratum exhibere: tum quia etsi est alteri aliquod onus, tamen iure suo vitur. non enim lege matrimonij tenetur petere, sed solum petenti reddere.

Distinctio quam adfert Nauarrus inter petere & exigere, non videtur hic habere locum: Quia Pontifex aperte insinuat, idè non posse exigere, quia quantum in se, tenetur seruare votum continentiae. Vnde sequitur, nec posse benignè petere, aut rogare. Qui tamen alteram sententiam tenere vellet, respondere posset, eum qui sic vouit, non posse petere, nisi votum à coniuge irritetur, sed non videtur ea mens Pontificis. si enim tam facile poterat votum elidi, cur tam serio & absolute respondetur non posse petere?

Ex his patet quid dicendum si maritus voueat continentiam. Cum enim non possit vouere continentiam absolute absque facultate coniugis, hoc votum non habet vim, nisi quoad ea in qui-

98 *Quid possit vxor in vota viri.*

99 *Votum mariti de non petendo debito.*

100 *Votum continentiae mariti.*

quibus ipse est sui iuris, per quæ nullum fit præiudicium coniugi; nimirum quoad non petendum debitum, & abstinendum ab omni actu libidinis, præter eum in quo debet morem gerere vxori. Itaque etsi hoc votum, secundum probabilem sententiam iam dictam, possit irritum reddi ab vxore quoad non petendum debitum, non tamen quoad abstinendum ab aliis libidinibus, v. g. à sui pollutione, &c.

Adde, votum continentia, & non petendi debitum, ordinariè censeri illicitum & indiscretum in coniugio, nisi ex consensu coniugis, qui permittat vouenti vt seorsim cubet: tum quia exponit se periculo violandi voti, si assidue eum coniunge cubet; tum quia alteri coniugi sæpè est molestum & odiosum tale votum, eò quòd semper cogatur petere. Ita D. Thomas in 4. d. 32. supra, & Durandus ibidem q. 2. & alij. non tamen idcirco definit obligare; quia est de bono consilij, etsi absque peticulo non mandetur executioni.

DUBITATIO XVI.

*Quinam possint vota commutare,
& quo modo.*

101
Quisque
potest in
melius.

Dico Primò, Quisque potest sua auctoritate votum suum commutare in id, quod constat esse melius. Est communior sententia Doctorum: ita enim sentit Maior in 4. d. 38. qu. 3. Angelus, Votum 4. qu. 2. Caietan. qu. 88. ar. 12. Sotus lib. 7. qu. 4. ar. 3. Couar. in cap. Quamuis pactum, p. 1. §. 3. num. 4. Nauar. cap. 12. num. 75. Probatur ex cap. Peruenit. 2. de iureiurando: *Proposuit seu promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* Ratio est, Quia in eo, quod melius est, censetur contineri quod minus est. vnde dando melius, excellenter soluit quod promiserat. Sic inter homines optimè soluit promissum, qui dat id quod promissario est gratius; vt si loco canis promissi, des equum; vel loco ouis, bouem; loco nummi argentei, aureum.

Hinc fit vt votum orandi septem Psalmos, possit commutare in votum faciendi Sacrum; & peregrinationem ad S. Mariam Hallensem, in peregrinationem ad S. Mariam Lauretanam; & omnia vota personalia & realia in votum Religionis; & votum ingrediendæ Religionis laxioris, in strictiorem.

Melius
quid.

Melius voco, non quod ex genere suo est præstantius; sed quod omnibus expensis Deo gratius est nos facere. Etsi enim per se & ex suo genere melior sit oratio quam ieiunium; & eleemosyna quam carnis afflictio per cilicium; tamè qui vouit ieiunium vel cilicium, non potest suo arbitrio ista in orationem aliquam vel eleemosynam commutare: quia non semper Deo gratius est nos id facere, quod per se est excellentius; sed quod pro tempore, loco, & dispositione nostra magis congruit ad nostram salutem à nobis fieri. Itaque in hoc poterit fieri commutatio: abundè enim satisfacit promissioni, qui loco rei promissæ, soluit promissario ad quod ei est gratius. Nisi fortè ex alio capite id hoc soluendum erat obstrictus, & solutio huius non impedit voti executionem. tunc enim non potest votum in illud commutari, sed vtrumque præstandum est. non enim potest fieri commutatio voti in id quod aliàs erat debitum,

nisi quando executio vtriusque nequit constare: quamuis tunc non opus sit commutatione, cum obligatio voti cesseret, si alterum omitti nequeat.

Sed contra Obicitur Primò, Commutatio votorum pertinet ad auctoritatem Superioris, sicut & dispensatio, vt patet cap. 1. de voto & voti redemp. vbi dicitur, *commutationem voti pendere ab arbitrio Superioris*: ergo sicut nemo priuata auctoritate potest in suo voto dispensare, ita nec commutare. Secundò, Quia debitor soluens creditori rem meliorem, non liberatur obligatione, sed tenetur soluere quod debet, vt habetur L. 2. 7. Si certum petatur. Tertio, Quia nemo potest esse Iudex in propria causa. Ob hæc argumenta quidam sentiunt, vota non posse propria auctoritate etiam in apertè melius commutari. Ita Siluester, Votum 4. quæst. 7. citat pro se Innocentium, Ioannem Andream, & Goffredum. Sed quod diximus est veritas. vnde

102
Obiectio-
nes.

Ad Primum Respondeo, Commutatio non requirit auctoritatem Superioris, nisi quando non constat id esse melius in quod fieri debet commutatio. vel enim requiritur Prælati auctoritas in commutatione, vt in persona Dei determinet quid sit Deo acceptum, vt docet S. Thomas art. 12. ac proinde non erit necessaria quando id per se satis notum est: vel requiritur vt nomine Dei condonet priorem obligationem pro posteriore; & hoc necessarium non est in proposito casu; quia promissio rei minoris abundè soluitur in re maiore, ita vt non sit opus condonationis beneficio.

Ad Secundum: Lex illa intelligenda de re meliore, quæ tamen non est gratior creditori. sæpè enim quod melius est, non est homini gratius: scilicet in Deo, cui opera quòd meliora, eò gratiora.

Ad Tertium: Nemo potest esse Iudex in propria causa inuita parte; scilicet si pars consentiat, vt in proposito.

Petes Primò, Vtrum votum ingrediendæ Religionis possit propria auctoritate commutari in susceptionem Episcopatus? Quidam affirmant, vt Viualdus n. 73. Ratio est, Quia Episcopatus est status perfectior, vt pote perfectionis acquisita.

103
Commuta-
tio in Epi-
scopatum.

Sed contrarium expressè habetur cap. pa. nult. de voto: vbi Pontifex dicit, *eum, qui solemniter emisit votum suscipiendi habitum regulare, & postea electus fuit Episcopus, debere Ecclesie regimen resignare, & votum implere, si conscientia sua consulerit velit.* Ratio est, Quia Episcopi status dicitur perfectior, non quia hominem perfectiorem Deoque gratiorem efficit quam Religio, aut illum ad perfectionem magis adducit; sed quia secundum rectum ordinem perfectionem supponit: est enim status postulans perfectam charitatem, qua animam suam ponat pro ouibus suis, & eas ad perfectionem nitatur adducere. Deinde quia munus Episcopi est conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis, quibus efficitur perfecti Christiani & ministri Ecclesie. Vnde temeritatis & arrogantia esse videtur ad Episcopatum aspirare; quia videtur sibi perfectionem, quam ille status supponit, arrogare, & se idoneum tanto muneri indicare. Status autem Religionis adducit ad perfectionem, Deoque magis charum efficit. Itaque etsi ille status dicatur perfectior, tamen non est Deo gratius vt illum hic & nunc amplectaris potius quam statum Religionis; vel certè si gra-

Episcopa-
tus quo
modo dica-
tur status
perfectio-
nis.

tius est in aliquo casu, id non constat. Idem docent passim DD. & Abulensis in cap. 30. Numerorum, quæst. 94.

104
Votum factum in fauorem tertij, potest in melius commutari.

Petes Secundò, Vtrum quis sua auctoritate votum reale factum in fauorem huius Ecclesie, vel piæ causæ, possit commutare in votum reale melius, quod sit in commodum alterius Ecclesie? vt si vouisti dare tres aureos Ecclesie S. Petri, an possis commutare in calicem dandum Ecclesie S. Martini, vel Monasterio? Quidam putant, ne auctoritate quidem Episcopi id fieri posse. Ratio est, quia in causis pijs per promissionem ius acquiritur absenti vt possit rem promissam exigere, vt patet L. Illud. & L. Vt inter. C. de sacrosanctis Ecclesijs. & ita tenent Archidiaconus & aliqui alij Canonistæ apud Siluestrum v. Votum 4. p. 7. §. Quartum.

Respondeo, Verius esse, posse tale votum etiam ab ipso vouente in melius commutari; & ab Episcopo in æquale vel minus, etiam alterius generis. Ratio est, Quia per tale votum nullum ius acquiritur pio loco vel Ecclesie, sed solum Deo, cui ipsum votum fit, cui gratum est illud in melius commutari, vt eruditè ostendit Caietanus tomo 2. opusculo 11. de voto, qu. 3.

Si promissio ipsa dirigitur in Ecclesiam.

Sed quid si addatur promissio, qua res promittatur Ecclesie, vel Sancto illius Ecclesie præsidit? Respondeo, Tunc esse distinguendum; si enim verba promissionis dirigantur ad Sanctum, solum acquiritur ius ipsi Sancto, cui gratum est promissionem illam in melius commutari, teste Caietano supra. Si autem dirigantur ad Ecclesiam vel Prælatum, Ecclesia nullum ius acquirit, nisi promissio acceptetur. Vnde ante acceptationem potest commutari in melius ad commodum alterius propria auctoritate. Post acceptationem non potest, nisi à Prælate vel Rectore Ecclesie: quia Ecclesie acquisitum erat ius per acceptationem Prælati. Potest autem huiusmodi promissiones absenti factas ad piam causam acceptare quibus; modò verba promissionis ad ipsum dirigantur: aliàs minime, vt dictum est capite 18. dubit. 7.

Hinc patet responsio ad rationem diuersæ sententiæ.

105
Vtrum in æquale.

Petes Tertio, Vtrum propria auctoritate possit votum commutari in æquale? Quidam censent id fieri posse, si causâ iusta subsit, modò consistet non esse minus. Ita Sotus lib. 7. q. 4. ar. 3. & Lopez cap. 49. in fine: tutius tamen est vt id non fiat nisi auctoritate Superioris, vel saltem prudentis confessorij, vt docet Viualdus cap. 14. §. 15. ex plurimum DD. sententia.

106
Possunt commutari in professionem.

Dico Secundò, Omnia vota antè emissa commutari possunt propria auctoritate in vota Religionis, quæ in professione fiunt: scilicet in votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetuæ. Est communis DD. ex cap. Scripturæ, de voto, vbi Alexander III. ait: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis obseruantiam noscitur commutare.* Vbi aduerte, factis hic insinuari, non requiri vllam ad hoc auctoritatem, sed ex natura rei validam esse. Vnde hoc ipso, quo quis proficitur, censetur hanc commutationem velle facere, vel certè ipsius Iuris auctoritate ea fieri videtur; nisi explicitè contrarium intendat: quia dum totam vitam suam alterius directioni subijcit, non censetur

priuatas illas obligationes retinere velle. idem colligitur ex cap. panult. de Regular. in Sexto.

Hinc sequitur, Etiam votum subsidij Terræ sanctæ commutari posse in votum Religionis; quia bonum Religionis est melius, Deoque gratius. nisi fortè votum illud ab Episcopo vel Pontifice sit acceptatum; tunc enim ius acquiritur Ecclesie ad tale subsidium. vnde saltem sumptus præstandi erunt.

Dico Tertio, Vota Nouitiorum personalia antè emissa, possunt durante Nouitiatu, auctoritate Prælati (& fortè etiam priuata ipsorum) commutari in exercitia probationis, donec vel proficiantur, vel egrediantur. Quòd auctoritate Prælati, non est dubium; quia hic potest ea etiam suspendere absque vlla commutatione, vt melius per exercitia Ordinis probari possint, vt docet Siluester, Votum 4. qu. 7. & alij DD. idque ipse vsus confirmat: non enim solent commutari, sed suspendi, donec per professionem quodammodo expirent, & facessant in onus Religionis. Quòd etiam auctoritate propria commutari possint, probatur, quia hæc commutatio fit in illud, quod manifestè est melius. facta tamen huiusmodi commutatione, si iste egressus fuerit antè professionem, redibit obligatio prior; sicut quando fuit sopita seu suspensa executio: quia solum facta est commutatio pro tempore Nouitiatus.

Dico votis realibus Nouitij est maior difficultas. Puto tamen posse commutari in onera probationis auctoritate Prælati; quia cum per illa nullum ius acquisitum sit tertio, non video cur non possint sicut alia commutari.

Dico Quarto, Quicumque habet potestatem dispensandi ordinariam vel delegatam, habet etiam potestatem commutandi; non tamen è contrario. De habente potestatem ordinariam est communis sententia DD. sed de habente delegatam est dissensio. Nauarrus enim cap. 12. n. 79. putat, cum qui habet potestatem delegatam dispensandi, non continuo habere potestatem commutandi. Probat, Quia hæc facultates sunt omnino distinctæ: ergo cui conceditur vna, non eo ipso conceditur altera. Confirmatur, Quia maior prudentia requiritur ad rectè faciendam commutationem, quam ad dispensationem. Nam in commutatione perpendendum an sit æquiualens in quod votum commutetur: quod non est cuiusuis iudicare.

Sed contrarium est verius. tenet Paludanus in 4. d. 38. qu. 4. ar. 3. Siluest. Votum 4. qu. 3. Sotus lib. 7. q. 4. ar. 3. Couarr. de pactis 1. p. §. 3. num. 10. Ratio est, Quia commutatio est pars quædam dispensationis; est enim imperfecta quædam dispensatio, seu relaxatio, vt patet ex cap. 1. de Voto. Quòd vt intelligatur,

Notandum est, dispensare in voto nihil aliud esse, quam nomine Dei absolute condonare voti obligationem. Commutare verò est condonare cum onere, nempe vt loco prioris obligationis suscipias aliam: secunda enim obligatio in quam fit commutatio, non tam nascitur ex auctoritate Prælati commutantis (quod valde notandum est) quam ex consensu acceptantis, in quo consensu implicitè continetur votum alterius boni. Itaque in dispensatione Prælati condonat absolute; in commutatione condonat solum sub conditione, nempe si voucas aliud. Vnde patet, commutationem

tionem

tionem esse imperfectam dispensationem, & minus quiddam: atqui ei, cui licet quod amplius est, licet etiam quod minus est, ut qui potest dispensare in tertio gradu consanguinitatis, potest etiam in tertio affinitatis: ergo, &c.

Ad rationem Nauarri Respondeo, Has facultates non esse omnino distinctas, sed alteram in altera contineri, sicut pars in toto, & minus continetur in maiore.

Ad confirm. Non minor prudentia requiritur in dispensatione, quia expendi debet an subit causa insta, ut omnino obligatio tollatur, & nihil in eius subituatur locum; quod sane difficilium est quam aliquid inuenire quod videatur non minus gratum Deo, & non minus vtile: ut patet in infra assertionem 6.

Hinc constat altera pars assertionis: cum enim longè minus sit commutare, quam omnino absolueri & relaxare; non eo ipso, quo quis potest commutare, potest dispensare, quod est absolueri. Pari ratione, qui ex potestate delegata potest commutare vota, non eo ipso potest commutare iuramenta: quia iuramentum nouum vinculum addit, quamuis contrarium non sit improbable, ut infra cap. 42. dub. 12. dicitur.

Addo, Quicumque ex potestate ordinaria vel delegata potest commutare votum, posse etiam commutare debitum seu obligationem ex violatione voti contractam. v. g. vouisti dare eleemosynam 10. aureorum, si peccares contra castitatem: peccasti deinde quinquies; & ita teneris in eleemosynam dare 50. aureos. Qui potest commutare votum, potest etiam illud debitum in alia opera conuertere. Ratio est, Quia illud debitum non debetur nisi ex vi voti; & aliàs materia non est reseruata. Confirmatur, Quia obligatio illa soluendi ex voto conditionali, impleta conditione, contracta, non est maior quam obligatio voti, quo quis absolute & directe vouet dare 50. in eleemosynam: sed potius minor; cum non procedat ex affectu ad illud opus; ut constat ex dictis supra dubit. 6. num. 30. & infra dubit. 18. num. 130. atqui hæc potest commutari à priuilegiatis; ergo & illa pœnalis. Confirm. Secundo, Eiusdem rationis est obligatio ex voto ad soluendum in futurum, & ad soluendum præteritum: ut cum quis aliquor diebus omisit dare eleemosynam, quam vouit dare quotidie. sed obligatio ad futurum potest commutari; ergo & illa ad præteritum. Contrarium tenet Nauarrus lib. 3. tit. de voto, consil. 33. & 35. ubi docet, eum qui potest commutare aut relaxare vota, non posse idcirco commutare aut relaxare pœnam, aut debitum ex fractione illius incursum, sed nulla firma ratione, quæ ex dictis non facile soluitur. Nostram quoque sententiam tenet Sancius lib. 8. de matrim. disp. 15. num. 14.

Dico Quintò, Quod ad modum commutationis attinet; qui solum habet potestatem commutandi, debet commutare in æquale vel pænè æquale: si enim notabiliter esset minus, admisceretur dispensatio. Quamquam valdè probabile sit, priuilegium commutandi ita intelligendum, ut possit fieri in minus. nam ut fiat in æquale, mitorum sententiã non requiritur priuilegium. itaque parua dispensatio admiscetur. *Æquale* uoco, quod æquè gratum est Deo à te hic & nunc præstari.

Hinc sæpè fit, ut peregrinationes, etiam longinquæ, prudenter commutentur in ieiunia, largas eleemosynas, crebras confessiones, & sacre Eucharistia perceptiones: quia plerumque hæc magis salutaria, Deoque magis grata. Et quamuis vota realia optimè commutentur in realia, & personalia in personalia; tamen etiam contrarium fieri potest, prout videbitur magis expedire ad Dei gloriam & salutem uouentis. Sic votum eleemosynæ corporalis potest ex causa commutari per Superiorem in eleemosynam spiritalem, per sacrificia, vel preces, vel bonam instructionem. Imò quando in Bulla vel Iubileo dicitur commutatio vororū faciendã in subsidium certæ rei, (v. g. belli contra infideles, vel hæreticos) potest fieri commutatio in subsidium spiritale per preces, sacrificia, ieiunia, ad intentionem & finem Bullæ, ut docet Viualdus, cap. 14. num. 39. ex Deça; quæ sententia non est improbabilis, quando legitima causa subest. Ratio est, Tum quia subsidium spiritale non est minus præstans quam temporale; tum quia alioquin vota pauperum tunc commutari non possent: nam nihil subsidij temporalis conferre possunt, vel certè adeò modicum, ut pro nihilo reputetur. Securius tamen est, ut etiam aliquid subsidij temporalis conferant pro suo modulo: quia indulgentiæ non sunt extendendæ ultra verborum proprietatem.

Potest etiam fieri commutatio hoc modo: Commuto votum tuum in id quod talis vir doctus præscribet: nec refert, etiam si non nisi exacto Iubileo illa præscribat: quia commutatio antè facta est. ita Nauar. c. 26. num. 13. Neque peccabit contra votum, etiam si ante præscriptionem nouæ materiæ contra prius votum fecerit: quia huius obligatio iam est extincta, & translata in aliam materiam in genere. Ille enim acceptando talem commutationem, implicite uouit id quod ille Doctor præscripturus est. Vbi etiam aduerte: Si quis tempore Iubilei per obliuionem, vel alia de causa non curauit vota sua commutari, vel relaxari, posse id postea fieri, etiam post annum, si ipse intra tempus Iubilei, opera ad Iubilei consecutionem præscripta præstitit. Ratio est, Quia hoc ipso, quo debito tempore fecit opera ad Iubilei consecutionem necessaria, acquisiuit priuilegium, quo possint eius vota laxari; quod priuilegium non est certo tempori adstrictum, ut colligitur ex tenore verborum Iubilei. Idem dicendum de absolutione à reseruatis, quæ tempore Iubilei fuit oblitus, quia ius acquisiuit cui liber ea confitendi. Ita Sancius lib. 8. disp. 15. num. 17. & Suares de pœnit. disp. 31. lect. 4.

Dico Sextò, Quod ad causam attinet, ad commutationem minor requiritur causa, quam ad dispensationem; quod dispensatio omnino liberet, commutatio aliud subroget. Si fiat in melius, nulla alia causa requiritur. Si in æquale, & auctoritate Superioris, sufficit voluntatis maior in illud propensio. Si autem dubitetur an sit æquale, sufficit notabilis aliqua molestia in implendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia parentis, aut mariti, vel simile quiddam, quod prudens æstimabit.

Petes, Vtrum facta commutatione possit uouens redire ad votum prius, omisso eo in quod facta est commutatio.

Respondeo, Posse, tum quia facta est in ipsius fauore

Continuatio in genere.

Si omissa in Iubileo.

116
Causa commutationis
qualis esse
debeat.

111
Potest redire ad prius votum.

Pœna ex voti violatione debita.

109
Modus commutandi.

favorem; unde potest ei renuntiare: alioquin non tam esset favor quam onus; tum quia solam videtur facta sub conditione, si nolit prius votum implere.

Vnde sequitur, si sapius facta sit commutatio, posse servari quidvis illorum in qua facta fuit; v.g. votum peregrinationis annua commutatum est in mensuram confessionem; mensura confessio in ieiunium hebdomadarium; ieiunium hebdomadarium in certas preces quotidianas: potest vouens satisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando singulis hebdomadis, vel confitendo singulis mensibus, vel annuam peregrinationem suscipiendo.

DUBITATIO XVII.

Quam possint in votis dispensare, cum quibus, & quas ob causas.

112 **S**uppono Primò, dispensare in voto (vt loquuntur Theologi & Canonistæ) non esse idem quod declarare materiam voti non esse Deo gratam; vt videtur velle D. Bonaventura d. 38. art. 1. qu. 3. & Palud. ibid. qu. 4. art. 4. tum quia id potius ad Doctores pertinet quam ad Prælatos Ecclesie: tum quia cum materia Deo grata non est, obligatio voti per se evanescit, nec opus est dispensatione. Tum denique quia cum multis dispensatur, qui gratissimum Deo facerent, si votum executioni mandarent. Pari modo non est idem quod dispensare in lege humana, quam homo sibi imposuit vouendo, vt vult Sotus lib. 7. qu. 4. art. 1. quia votum non solum est lex quedam priuata, sed etiam tribuit ius alteri; quod illi adimi non potest, nisi consentiat. Confirmatur. Quia dispensatio in lege humana fit per hoc, quod is, qui sua auctoritate obligationem imposuit, eam in particulari tollat: hoc autem fieri non potest quando per eam alteri ius est acquisitum; id enim cederet in iniuriam terrij: ergo tali modo non potest tolli obligatio voti; alioquin ipse, qui vouit, posset sua auctoritate ab obligatione voti se eximere.

Quid dispensare in voto.

Est igitur dispensare in voto nihil aliud quam relaxare voti vinculum, & tollere eius obligationem, condonando nomine Dei debitum, quod erga Deum vouendo contraxisti; vt Caietanus inlinuat art. 12. cum enim vouendo te obstringeris Deo, etique factus sis debitor certi operis, solui eo debito nequis, nisi ipse vel alius eius nomine & auctoritate condonet: sicut videmus in promissionibus humanis.

113 **S**uppono Secundò, quando dubium est vtrum votum emiseris, non opus esse dispensatione: quia in dubio nemo priuandus est sua libertate, nec grauandus onere incerto. Idem dicendum in dubio legis, quando dubium est, vtrum lex sit lata. Talia enim onera non tenemur acceptare, nisi quando constat, causas, quibus imponuntur, existare; ita vt non sit nobis probabile non existare. Vnde non solum in dubio negatiuo, quando neutram in partem habemus rationes probabiles, melior est conditio possidentis; sed etiam in positiuo quando rationes probabiles habemus, causam obligationis non existare, quamuis ex altera parte magis inclinemur ad opinandum existare, vt alibi fufius explicauimus. Secus est quando constat de

voto, sed dubitas de intentione obligandi, vel de sufficientia considerationis, aut libertatis. Hæc enim cum natura voti ea requirat, & secum trahat, præsumuntur adfuisse, nisi de contrario tibi constet, vel probabiles rationes habeas. itaque opus est dispensatione. His positis

Dico Primò, In Ecclesia esse potestatem dispensandi in votis, iuramentis, & similibus obligationibus & debitis erga Deum contractis. Est ite tenendum, vt patet ex perpetuo vsu Ecclesie. Probatum Primò, Ex Scripturis, 2. ad Corinth. 2. *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* vbi Apostolus significat se condonasse debitum pœnæ contractum ex culpa; quod Ecclesia facit conferendo indulgentias. Nec dubium quin Deus hanc donationem ratam haberit. vnde meritò colligunt DD. etiam in aliis debitis, ortis ex voto vel iuramento, Ecclesia Prælatos nomine Dei condonare posse; ita D. Thomas art. 12. colligit. Idem insinuat in diplomatibus Pontificum, vbi potestati condonandi debita pœnarum per indulgentias, iungi solet potestas condonandi debita votorum: Matthæi 16. *Tibi dabo clauis regni celorum: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis.* & rursum Matthæi 18. *Amen dico vobis, quacumque solueritis super terram, erunt soluta & in caelis;* quæ verba sicut generalia sunt, ita intelligi debent de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest, & aliquando solui expedit. Secundò, Probatum ratione: Si Dominus Ecclesie suæ contulit potestatem soluendi à vinculo culpæ & à vinculo pœnæ, vt ex Scripturis & Ecclesie traditione constat; cur non etiam à vinculo votorum & iuramentorum? præsertim cum id sapè ad salutem animarum, & suauem Ecclesie administrationem sit necessarium? Idem confirmari potest à simili in regno terreno, qui enim Principis locum tenet in regno vel prouincia, potest condonare subditis aliqua Principi debita, quando id bonum commune postulat: ergo qui in Ecclesia locum Dei tenent, possunt condonare aliqua Deo debita, quando salus animarum, qui est finis spiritalis gubernationis, id poscit.

Dico Secundò, Hæc potestas Iure ordinario competit solis Prælati habentibus iurisdictionem in foro externo.

115 *Competit Prælati.*

Probatum Primò, Quia pertinet ad externam Ecclesie gubernationem; sicut potestas relaxandi leges, conferendi indulgentias, excommunicandi: ergo iis solis competit, qui Ecclesie administranda præfunt.

Secundò, Quia hæc potestas non est Ordinis, sed iurisdictionis; vnde non competit cuius sacerdoti, nec ad eam requiritur sacerdotium, aut alius Ordo sacer; sed solum iurisdictionis Ecclesiastica in foro externo, qualis est in Episcopo confirmato, ante ordinationem. Ex delegatione tamen vel priuilegio Principis sacrorum potest etiam aliis conuenire, qui in foro externo iurisdictionem non habent: vt Ordinibus mendicantium, & aliis quibusdam, iuxta varia ipsorum priuilegia. Hinc patet, in quorum votis Prælati dispensare possint, nimirum in votis suorum subditorum, in quos habent iurisdictionem; non autem in votis eorum, qui ipsi non sunt subditi.

Sed difficultas est, An Prælati possint directè dispensare in votis propriis.

Dico

116 *An in suis votis.*

Dico directè, Quia non est dubium, quin Prælatus possit indirectè; nimirum dando alicui ex subditiis potestatem, qua in ipsius voto dispenset. Sicut enim sacerdoti subditi potest dare potestatem, qua ipsum absoluat à peccatis, etiam à casibus referuatis; vt colligitur ex cap. fin. de pœn. & remiss. vbi datur illis potestas eligendi confessorum: ita etiam qua liberet ipsum ab obligatione voti. Alioquin Superior esset deterioris conditionis quam subditi.

Neque satisfacit, si dicas, Papam tunc conferre potestatem confessori electo: quia etiam ipse potest sibi eligere, & sic idem in seipsum confert potestatem alteri.

Potest in
fuis.

Respondeo & Dico Tertio, Valdè probabile esse, posse Prælatum etiam directè in suis votis dispensare. Probatur Primò, quia sicut potest dispensare cum suis subditiis in legibus etiam Superiorum, quando ei permittitur, vt in lege ieiunij, esus carniū, audiendi Sacri, recitandi Officij: ita in iisdem potest dispensare secum, quando iusta causa subest. Ergo sicut potest dispensare in votis subditorum, potest etiam in votis suis. Non enim hic plus iurisdictionis requiritur in seipsum, quam ibi. Secundò, Potest se eximere, quando causa subest, ab obligatione, quam Iure naturæ contrahit occasione legis propriæ: cur non etiam ab obligatione, quam adfert votum proprium? Tertio, Papa potest sibi ipse conferre indulgentias, absoluendo se à debito pœnæ etiam iniunctæ, vt docet Henriquez de indulgentiis cap. 32. ergo etiam potest se absoluere à debito voti. Quarto, Quia si quid obstat, cur minis possit Prælatus in voto suo dispensare, id esset defectus iurisdictionis in seipsum: nemo enim potest in seipsum iurisdictionem exercere. Vnde nemo potest seipsum à peccatis absoluere, nemo seipsum censuris ligare aut soluere. Atqui hic defectus non obstat. Primò, Quia non magis requiritur hæc iurisdictione in dispensatione votorum, quam in dispensatione legum, collatione indulgentiarum, & obligatione per suas leges. Atqui defectus iurisdictionis in seipsum non impedit quòd minis quis hæc possit in seipsum; vt patet ex dictis. Secundò, quia quòd iurisdictione postulat distinctionem personarum, est, vel quia est coactiua, quæ exercenda est in inuitum, vt est potestas inferendi censuram: vel quia est contentiosa, inter partes ius distribuens. non enim videtur æquum, vt quis in sua causa sibi ius dicat contra ius aduersarij se opponentis; sic enim esset sibi & iudex & reus: vel quia perinet ad absolutionem sacramentalem; quæ Iure diuino postulat distinctionem Iudicis & rei. atqui iurisdictione illa quæ requiritur ad dispensationem voti, nihil horum est, vt per se patet; ergo non est cur requirat distinctionem personæ. Confirm. Primò, ex D. Thomæ in 4. d. 20. quæst. vnica. artic. 5. versus finem ad 3. vbi dicit, *Neminem posse seipsum excommunicare, quia excommunicatio fertur per modum sententiæ, quam nemo in seipsum ferre potest, cum idem non possit esse Iudex & reus: posse tamen sibi dare indulgentias; quia indulgentia non datur per modum sententiæ, sed per modum cuiusdam dispensationis.* Vnde clarè sequitur, posse etiam se eximere ab obligatione sui voti, quia hic est propriè dispensatio. Confirm. Secundò, Quia si in dispensationibus requireretur distinctio personarum, sicut in irro-

gandis & tollendis censuris, non posset quis esse particeps dispensationis & beneficij à se collati communitati, sicut non potest incurrere censuras à se constitutas in communitatem; quod est contra D. Thomam loco citato communiter ab aliis receptum. Confirm. Tertio, Quia dispensatio votorum nihil est aliud quam quædam condonatio nomine & auctoritate Dei facta: atqui condonatio non postulat distinctionem personarum. Qui enim habet auctoritatem condonandi omnibus Regi aliquid debentibus, potest etiam condonare sibi, sicut qui aliquid habet distribuendum, potest etiam se numerare inter eos quibus faciendi distributio, si eadem causa locum in ipso habeat: & quæstor sibi ipse soluere potest. Confirm. Quarto, Quia vt docet Panormit. cap. Ex litteris. num. 11. de probationibus, in iurisdictione voluntaria potest quis sustinere vices plurium, dummodò exercitium vnus actus non præstet impedimentum exercitio alterius: idque probat ex L. Si consul. 7. de adopcionibus; vbi dicitur quòd filius familias si præses sit, possit seipsum apud seipsum emancipare, vel in adoptionem dare. & L. Vna. 7. de offic. consul. vbi consul potest apud se manumittere seruum suum; & sic representat personam consulis, & personam domini. Ratio est, quia idem secundum diuersas qualitates & officia potest seipso esse superior & inferior: vt patet in Pontifice Summo, qui simul est Princeps sæcularis, & in Episcopo, qui simul est canonicus; in Rege, qui simul est Dux vel Comes coronæ subiectus seu vasallus. Idem cernitur in omni Prælate & Superiore: quia in eo est qualitas Superioris (vt Iurisperiti loquuntur) & qualitas personæ priuatae. Itaque gratias & beneficia, quæ in alios inferiores diffundit per illam eminentem conditionem, qua quodammodo similis est Deo, & veluti quoddam terrenum numen; potest etiam in seipsum, qua similis est aliis subditiis, & iisdem subiectus incommodis, diffundere. Nam vt superior habet veluti vim actiuam; vt persona priuata, capacitatem ad recipiendum. Neque id mirum videri debet; cum etiam in naturalibus possit idem agere in seipsum, & esse agens & patiens, vt patet in actionibus vitalibus, &c.

Confirmantur hæc omnia, Quia dispensatio hæc non requirit maiorem distinctionem quam actus iustitiæ: atqui eiusdem in seipsum secundum diuersas rationes & officia potest esse obligatio & actus iustitiæ; vt patet cum quæstor vt debitor, nomine Regis soluit sibi vt creditori; cum Christus vt homo satisfacit sibi vt Deo.

Dices, Collator non potest sibi ipse beneficium conferre, vt habetur cap. final. de institutionibus: quia, vt ibi inquit Pontifex, inter danterem & accipientem debet esse distinctio personalis. Similiter patronus non potest seipsum presentare, vt habetur cap. Per nostras. 26. de Iure patronatus. ergo, &c.

Respondeo, Si hoc argumentum valeret, non posset Prælatus sui voti dispensationem alteri committere: sicut nec collator potest committere suam potestatem alteri, qui ipsi beneficium conferat; vt docet ibidem Panorm. num. 6. Itaque hoc peculiariter statutum est in beneficiorum collatione & presentatione; tum quia nemo debet se ingerere Ecclesiasticæ prælationis officijs, quantumuis sit idoneus; vt habetur d. cap. Per nostras; tum quia

117
Obiectio.
Collator.

Patronus

quia esset perniciosum exemplum, si quis sibi prouideret, qui aliis conferre teneret, vt ait Pannormit. supra. Potest tamen quis seipsum eligere (nisi forte sit solus elector) quia id non est prohibitum; non enim à se solo tunc ius accipit, sed etiam à coelectoribus; & rarissime vsu venit, vt sic promoueatur. Quod autem quidam obiiciunt ex L. 1. de auctorit. & consensu tutorum, ad rem non facit: solum enim dicitur, *In rem suam tutorem actorem fieri non posse*; id est, non posse dare pupillo auctoritatem in negotio quod ad ipsum tutorem principaliter pertinet; non autem, vt illi citant, neminem posse prestare auctoritatem in suo facto. Id enim falsum esse, patet in exemplis allatis, & multis aliis. Est tamen verum, quando agitur de alterius præiudicio. Vide Pannormitanum loco citato.

118 Ex dictis patet, non solum Pontificem posse in votis propriis dispensare, sed etiam Episcopos; idque in omnibus, in quibus possunt cum suis subditis; quia rationes supradictæ in illis locum habent. Idem dicendum de Prælati regularium, qui toti conuentui præsunt, vt sunt Priores, Præpositi, Rectores. imò etiam Vicepriores & Vice-rectores, qui in absentia aliorum regunt. quia hi omnes habent iurisdictionem quasi Episcopalem in suos, & sunt Pastores ordinarij suorum, sicut Episcopi secularium. ita Sancius supra, & Molina disput. 148. vbi dicit, *Superiorem Monasterij quas facultates & dispensationes potest alijs concedere, si idem posse secum uti, quando aliud in ea Religione non est statutum.* Emanuel Sà v. Religio, Prælati, inquit, in religione possunt secum dispensare, sicut cum subditis. quam sententiam dicit esse rationabilem Fumus v. Monachus num. 9. Idem colligi potest ex Caietano 1. 2. q. 96. ar. 5. dub. vlt. Siluestro v. Lex, num. 14. in fine. Soto lib. 1. de Iustitia, quest. 6. ar. 1. & alijs, qui docent, Superiorem posse dispensare secum in lege icianij, & alijs in quibus potest cum suis inferioribus, ne sit deterioris conditionis quam subditi: quare poterit etiam in votis, cum sit eadem ratio.

Quod ad causam attinet,

119 Dico Quartò, vt dispensatio sit valida, requiritur vt subdit iusta causa. Est communis sententia DD. Docet D. Thomas art. 12. ad 2. & Caiet. ibid. Sotus 1. 7. q. 4. ar. 3. Nauar. nu. 52. & alij omnes. Ratio est, Quia nulla auctoritas potest validè condonare non subdit; Deus enim huiusmodi condonationem ratam non habet: vt si quis absoluat sine legitima dispositione, est inualida absolutio; & si Indulgentiæ dentur sine causa, vel supra causam menturam, eatenus vim non habent. Confirmatur, Quia potestas dispensandi data est Ecclesiæ ad ædificationem, non ad destructionem: atqui in destructionem cederet, si valeret sine causa. Sufficit tamen vt causa bona fide, adhibito congruo examine pro rei qualitate, à Prælato & subdito puretur iusta seu legitima. tunc enim valebit, etiam si forte postea deprehendatur non fuisse omnino sufficiens. Deus enim ab homine amplius non requirit, quam vt faciat quod in se est: quo facto concedit ei vsum auctoritatis & potestatis suæ. quod etiam locum habet in dispensatione iuramenti, impedimento matrimonij, & matrimonij dissolutione: vt inquit Sancius lib. 8. disp. 17. n. 3. Secus tamen quando sen-

tentia est tantum declaratoria, non dispensatoria.

Petes, Quæ sit iusta causa dispensationis voti?

120 Respondeo, Generatim iustæ causæ sunt utilitas Ecclesiæ, & honor Dei, vt docet D. Thomas art. 12. item utilitas videntis, & magna fragilitas eiusdem, per quam timetur sæpe violaturus. Faciliorem impetrationem reddunt leuitas videntis, (etiam si non sit periculum violandi) inconsideratio, inconstantia, timor, vel alia perturbatio animi in vouendo. Vide Nauar. nu. 77. Sotum q. 4. ar. 3. Caiet. art. 12. Hoc etiam Notandum, raro vtendum pura dispensatione seu relaxatione voti; quia raro iusta causa subest vt sine vilo onere condonetur: quare plerumque vtendum commutatione, quæ dispensationem admixtam habeat; & extendatur iuxta tempus voti: vel saltem opus aliquod semel vel sæpius faciendum in compensationem sublatis voti est imponendum.

D V B I T A T I O X V I I I .

In quibus votis possint dispensare Episcopi & inferiores Prælati, siue seculares siue regulares: & quo modo.

121 Dico Primò, Episcopi iure ordinario possunt dispensare in omnibus votis suorum subditorum, exceptis iis quæ Summo Pontifici sunt reseruata. Est communis sententia DD. Ratio est, quia Episcopus, seposita reseruatione Pontificis, in sua diocesi potest in iis, quæ sunt iurisdictionis, quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia: est enim Princeps sacrorum in sua Ecclesia, ac proinde habet omnem potestatem necessariam ad eius rectam administrationem.

Subditum autem quoad hoc, sicut & quoad omnia Sacramenta (excepto Ordine) censentur omnes, qui in diocesi habent domicilium; vt docet Nauar. in cap. Placuit. 3. de penit. d. 6. num. 92. & sequentibus. Neque hi tantum; (quia hi etiam ad Ordines suscipiendos subditi sunt) sed etiam qui etiam non habeant in diocesi domicilium, tamen ibi habitant, cum animo ibidem permanendi maiore parte anni; vt docet Henriquez lib. 3. de penitentia cap. 14. Petrus Arragon. quest. 88. art. 12. Sancius lib. 3. de matrimonio, disput. 23. num. 13. & multi alij Doctores. nam etiam hoc modo valde probabile est contrahi patæciam, & propriam acquiri proprium Parochum non solum ad Sacramenta quæ Parochus confert, sed etiam ad sepulturam, vt fuse docet idem Sancius loco citato. Denique vagi, qui nusquam domicilium aut paræciam habent. hi enim sortiuntur diocesium in qua se pro tempore reperiunt. vnde ab illius Episcopo dispensationem accipere possunt.

Petes, Quamam vota sunt Pontifici reseruata? Diuus Thomas dicit vota perpetua ei reseruata: quod Caietanus ar. 10. & Fumus v. Dispensatio, num. 18. intelligunt de voto continentie & Religionis, quæ natura sua perpetua sunt, cetera non item. His addit D. Thomas art. 12. in fine, votum peregrinationis Terra sanctæ. Quidam Doctor lib. 3. de conscientia cap. 23. dicit, *Ex consuetudine, quæ est optima legum interpres, Episcopi in omnibus votis, exceptis tribus, castitatis, Religionis, & peregrinationis Ierosolymitana, dispensare possunt.*

Sed

Sufficit bona fide in se videri.

Causa iusta est necessaria.

120 Quæ sit iusta causa.

121

Subditij.

122

Vota Pontifici reseruata.

Quinque
reſerua-
tur Ponti-
fici.

Sed communis ferè ſententia DD. eſt, Hæc quinque eſſe illi reſeruata; *caſtitaſ perpetua, Religionis approbata, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Iacobum Compoſtellam, & ultramarinum, ſeu in Terram ſanctam.* Probari poteſt Extrava- g. Eſti Dominici. vbi Sixtus IV. inter cetera, Sed Apoſtolica horum quinque votorum abſolutionem reſeruat, & excommunicat eos, qui ab his præſumpſerint abſolvere. Sed reſponderi poteſt, ea ſolum ſubtrahi conſeſſariis, qui prætextu facultatum à Sede Apoſtolica cõcellarum abſoluebant, quos etiam ibidem excommunicat. Verùm quamvis in Iure non inueniatur expreſſe aliquod votum abſolutè reſeruati, niſi vltimarinum cauſa ſubſidij (de quo cap. Quodd ſuper his. 8. & cap. Ex multa, de voto) tamen ſtylus Curie Romanæ etiam cetera reſeruat; cui parendum eſt, niſi alicubi alia ſit conſuetudo legitimè præſcripta. Non deſunt tamèn Doctores, qui putent tria illa peregrinationum vota non reſeruari Pontifici, niſi tantum in ſubſidium. Vnde ſi ſolum ſiant cauſa deuotionis, poſſe Episcopum diſpenſare. Ita Pa- normitanus in d. cap. Ex multa. 9. Et Gloſſa ibidem, Fumus v. Diſpenſatio, nu. 16. Joſephus Angles de voto art. 8. difficult. 9. Vivaldus cap. de voto, nu. 55. Tabiena v. Diſpenſatio, n. 11. & quidam recentiores. Sed & hæc conſuetudo videtur eſſe in contrarium, etiamſi ſolum deuotionis cauſa facta ſint. Idem dicendum de horum votorum commutatione, ſi ea in aliud opus quàm Religionis ingrediendæ faciendæ ſit.

123
In quibus
Episcopi
potestatem
habeant
diſpenſandi.

Ex his patet, Episcopum poſſe diſpenſare, Primò, in voto Religionis non approbata, & in voto paupertatis & obedientiæ perpetuæ in tali Religione; quia tale votum non eſt verè Religionis votum, cum Religio non approbata à Sede Apoſtolica non ſit Religio, vt infra cap. 41. dubit. 1. dicitur.

Secundò, In voto caſtitaſ non perpetuæ, vt 10. 15. 20. annorum, non autem 100. quia cenſetur perpetuum.

124
Si commu-
ni conſenſu.

Tertiò, In voto non fornicandi, non petendi debitum; quia non ſunt vota caſtitaſ integræ, ſed partis tantum. Nec reſert, etiamſi communi conſenſu coniuges vouiſſent nec petere debitum, nec reddere, nec fornicari; quia adhuc non eſt votum integræ caſtitaſ, relinquitur enim libertas tranſeundi ad ſecundas nuptias.

Idem dicendum, ſi conſummatò matrimonio, alter etiam cum alterius facultate voueat continentiam; quia niſi concedens facultatem ſimul cedat iure petendi, non erit votum integræ caſtitaſ, cum vouens non poſſit ſe eximere ab obligatione reddendi; vt patet ex dictis dubit. 15.

Quartò, Idem dicendum de voto non nubendi; vt docent Angelus Votum. 4. numero 9. Silueſt. ibidem quaſt. 4. Nauar. cap. 12. num. 76. (eſt Caietanus tom. 2. opuſc. 11. quaſt. 1. contrarium teneat) quia multum diſſert à voto caſtitaſ, cum per fornicationem non violetur.

125
Si in gra-
tiam alte-
rius fa-
ctum ſit.

Si tamen hoc votum factum ſit ſolum in gratiam alterius, v. g. coniugis; ob ipſius honorem, vel commodum prolium, & acceptatum ab eo in cuius fauorem factum; Episcopum non poterit inuito illo diſpenſare, quia non poteſt ius illud, per promiſſionem voto firmatam illi acquiſitum, tollere. poteſt tamen ille, in cuius fauorem eſt factum, condonare; quia habet tacitam conditio-

nem, ſi tibi placuerit: cupit enim illi gratificari. Quòd ſi non ſolum in gratiam alterius, ſed etiam intuitu pietatis factum ſit, & acceptatum; adhuc Episcopum non poterit diſpenſare, niſi alter ius ſuum condonet. ſed poſita illa condonatione poterit. ita Sancius lib. 8. diſput. 9. Idem dicendum de iuramento, vt docet Sotus lib. 8. de Iuſtitia, quaſt. 1. art. 9. ad 2. quia quatenus eſt in alterius fauorem, poteſt ab eo remitti; quatenus verò factum intuitu pietatis, habet vim voti: & ita ceſſante præiudicio tertij, poteſt in eo diſpenſare Episcopum; vt infra cap. 42. dubit. 12. numero 62. dicitur.

Quintò, In voto ſuſcipiendi ſacros Ordines; quia non eſt votum caſtitaſ, eſt hoc votum ſuſceptioni Ordinum ſit annexum.

Sextò, Poteſt etiam diſpenſare in qualitatibus quibusdam ſubſtantiaæ voti reſeruati adiunctis; vt ſi vouiſti ingredi Religionem ſtricam; poteſt commutare in laxiorem: hoc enim non eſt diſpenſare in voto Religionis; quia diſpenſatio eſt abſolutio & liberatio, ille autem non liberatur à Religione, ſed ſolum à quadam Religionis qualitate. itaque non eſt diſpenſatio in voto vt ad ſubſtantiam Religionis obſtringit, ſed ſolum vt ad illius quamdam qualitatē, ita Silueſt. Votum 4. num. 3. §. Sextum. Similiter poteſt diſpenſare, vt profeſſus in arctiori tranſeat ad laxiorem. quod intelligo, niſi ſtatutum aliquod peculiare à Pontifice approbatum obſtet. Idem poteſt Abbas, cum conſenſu tamen conuentus, vt ibidem docet Silueſt. & iſdem verbis diuus Antoninus p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 9. Idcirco autem requiritur conſenſus conuentus, quia (inquit D. Antoninus) non poteſt Abbas abſque conſenſu conuentus alienare perſonam conuentus, niſi hoc habeat ex priuilegio ſpeciali.

Septimò, Si Pontifex votum ſibi reſeruatum commutaſſet in aliud non reſeruatum, poſſet Episcopum poſtea in hoc diſpenſare; quia eſt nouum votum, per ſe non reſeruatum. Nec poteſt dici reſeruatum ratione commutationis; quia non obligaris ex vi præcepti commutantis, ſed ex proprio conſenſu: eſt enim nouum votum, quod ſuſcipitur pro abſolutione prioris.

Octauò, Poteſt etiam diſpenſare in voto virginitaſ, ſi vouens nihil aliud intenderit quàm obligare præciſe ad integritatem carnis conſeruandam: tunc enim amiſſa virginitate per primum peccatum, extinguitur obligatio voti; quia res eſt impoſſibilis. Verùm cõmuniter non ſic intelligitur, ſed vt inuoluit votum caſtitaſ: vnde in dubio ſic interpretandum.

Petes, Vtrum in nullo euentu Episcopum poſſit in voto integræ caſtitaſ diſpenſare.

125
Reſpondeo, Poſſe aſſignari aliquos caſus, in quibus videtur hanc poteſtatem habere.

Primus eſt, Si aliquis habens votum ſimplex caſtitaſ contraxit matrimonium, & conſummauit: Episcopum ob periculum incontinentiæ poteſt diſpenſare vt petat debitum, vt plurimi recentiores docent. Imò, ſi nondum conſummauit, ob idem periculum videtur poſſe diſpenſare vt conſummet petendo debitum. nam valdè probabile eſt, talem non teneri ingredi Religionem vt ſatiſfaciat voto caſtitaſ; (vt Sotus d. 38. quaſt. 2. artic. 1. & multi recentiores docent) eò quòd ſit res longè difficilior, quam ille nullo

modo vouere intendit. sed de hoc infra cap. 41. dub. 6. quo posito, potest consummare matrimonium reddendo, absque dispensatione, (quod etiam tenet Angelus v. Impedimentum matrimonii 3. num. 2.) & cum dispensatione etiam petendo; vt iidem Auctores & alij docent. Hic tamen mortua coniuge tenetur seruare castitatem. vnde hæc dispensatio non fuit integra, sed partialis tantum, & ad tempus.

Secundus est, Si coniuges post contractum matrimonium, communi consensu vouerunt continentiam, & postea idem periculum vtrique, vel saltem alteri eorum ingruat. Ita docet Angelus, *Votum* 4. numero 9. & notant Doctores in cap. *Rufus* 6. Qui Clerici vel vouentes. Probari possunt supradicti casus, quia Episcopus non relaxat absolute & simpliciter hoc votum, sed solum ex parte & secundum quid, nempe vt eius executio ad tempus differatur. vnde mortua coniuge reddit vis voti, & tenetur seruare castitatem; quod est signum, solum fuisse sopitum, & executionem suspensam. Verum nec hoc Episcopus possit, si Summus Pontifex hoc votum in eo euentu rigidè sibi vellet reseruare: quia inferior non potest suspendere votum superiori reseruatum, nisi quatenus ipsius iuri officit. Sed credibile est, nunquam fuisse mentem suæ Sanctitatis, hoc votum eo casu ita strictè reseruare, vt ab Episcopo non possit prædicto modo suspendi; idq; tum propter periculum incontinentiæ, quod plerumque non patitur tam longam moram obtinenda: dispensationis: tum quia hæc res est valde frequens. Accedit, quod etiam ab initio reseruationis id non fuisset eis concessum, tamen longo vtu & consuetudine etiam à tempore immemorabili ab Episcopis sit vsurpatum, præsertim consummato iam matrimonio, vt ex Doctorebus constat: quauis esset facilis ad regulares priuilegio instructos, vel etiam ad Summum Pontificem recursus. atqui consuetudo ius tribuit & iurisdictionem, cap. *Cum* contingat, de foro competenti. Et quamuis hæc consuetudo ortum habuerit ex periculo peccati incontinentiæ, cui per alios occurrere non poterat, tamen sensum absolute obtinuit, ita vt Episcopus dispense, etiam si alius potestatem habens adiri possit. Vnde hanc sententiã absolute docent præter supradictos, *Toletus* l. 7. *Summa*, c. 14. *Fumus* v. *Matrimonium*, n. 55. vbi addit, *ita communiter tenere modernos in cap. Rufus, Qui clerici vel vouentes, Rosella* v. *Impedimentum* 4. num. 5. idem docet nu. 6. etiam cum ambo votum continentia fecerunt, siue ante matrimonium, siue post. *Consulendum*, inquit, est eis vt petant dispensationem ab Episcopo, maxime vbi timeretur de incontinentia amborum vel alterius. *Sotus* in 4. d. 37. a. 1. in fine, & alij.

Aduerte tamen in secundo casu, Quando coniuges communi consensu vouerunt continentiam, etiam probabile sit Episcopum absolute posse dispensare modo supradicto vt debitum petant & reddant; (ita enim præter *Rosellam* & *Angelum* tenet *Maior* in 4. d. 32. q. 2. col. 2. *Emmanuel* Sa v. *Debitum coniugale*, nu. 2. & quidam alij recentiores) contrarium tamen videri verius, nimirum, Episcopum non posse, nisi quando in periculo incontinentiæ non esset facilis recursus ad Summum Pontificem, vel alium habentem potestatem, vt in quarto casu dicitur. Ita *Sancius* l. 8. disp. 11.

num. 10. Ratio est, quia hæc res rariùs occurrit, estque maioris momenti; nam passim huiusmodi vota solent esse publica: & periculo sæpè aliter potest occurrere, cum neuter habeat ius petendi, possintq; ne habitatione separari. Vnde non est ea consuetudo quæ in alijs, vbi res est occulta, & alter habet ius petendi, nec possunt separari. Nec fuit ratio id concedendi Episcopis ob periculum incontinentiæ, nisi quando ad Pontificem aditus non esset facilis. Si tamen coniuges condonarent sibi mutuò renuntiationem iuris quam sic vouendo fecerunt, restituendo sibi ius petendi quo vterque in alterum cesserat (quamuis id absque sacrilégio facere non possint, cum in iniuriam voti ea condonatio seu restitutio cedat) tunc Episcopus absolute possit dispensare ad petendum debitum, etiam si facilis esset ad Pontificem recursus. ita *Sancius* numero 15. ratio est, quia tunc vterque, etiam absque dispensatione, tenetur reddere penitentiam. Vnde perinde se habent ac si vterque ante matrimonium, vel iam constante matrimonio cum mutua facultate absque cessione iuris seorsim continentiam vouissent. quibus euentis Episcopus potest dispensare, consuetudine id ei permittente ob periculum incontinentiæ. quando enim alter tenetur reddere, præsumitur ordinariè magnum & vrgens periculum peccati, nisi idem etiam possit petere. Vnde consuetudo permittit Episcopo absolute in omni tali casu dispensare, non absolute, sed ad petendum dumtaxat. quare talis si fornicetur, peccabit contra votum; quia hæc ex parte non potuit ab Episcopo relaxari. neque etiam vt possit inire secundas nuptias; nisi sit periculum incontinentiæ, nec facilis sit ad Papam recursus, vt iam dicemus.

Tertius, Si votum castitatis sit metu emissum, licet non omnino iusto seu graui, ratione cuius sit irritum, videtur Episcopum posse dispensare vt matrimonium contrahat. Ita *Angelus*, *Votum* 4. nu. 9. & *Glossa* in cap. *Veniens*, 5. *Qui* Clerici vel vouentes. *Navarrus* c. 12. n. 59. *Fumus* v. *Dispensatio* num. 17. reseruatio enim videtur intelligenda de libero, ne ita reseruetur coactum sicut ipontaneum.

Quartus, Quodcumque est magnum periculum incontinentiæ. Ita *Cardinalis* & *Anton. de Butrio* in d. cap. *Veniens*, *Angelus* supra. Sed verius est, hoc non sufficere extra casus supradictos & similes, (maximè quando agitur de matrimonio contrahendo) nisi aliud concurrat, nempe vt non sit facilis aditus ad Summum Pontificem vel eius Delegatum; vt requirunt *Siluester*, *Votum* 4. q. 4. & v. *Dispensatio* nu. 15. *Navar.* cap. 12. num. 59. & 76. *Sotus* lib. 1. de Iustitia q. vlt. ar. vlt. & alij recentiores; tunc enim quia est necessitas, censetur Pontifex non intendere reseruare, sed permittere Episcopo, vt sua potestate ordinaria, quam seposita reseruatione habet, vtatur: non enim vult suam reseruationem esse in euetionem, sed in adificationem animarum. Hoc tamen non censetur facere, quando facilis ad ipsum vel Legatum eius, cui hanc potestatem commisit, est accessus. tunc enim nulla est necessitas tollenda reseruationis.

Dico, cui hanc potestatem commisit: quia iure communi Legatus à latere non potest amplius in dispensationibus in prouincia suæ legationis, quam Ordinarius in sua diocesi: vt docet *Panormi-*

126
Quomodo
Episcopus
id possit.

Si eodemo
mutuam
renuntia-
tionem.

127

128
Legatus.

normitanus in cap. Dilecto. num. 5. de præbendis, Couarr. de matrimonio cap. 6. §. 10. num. 25. in de probans, non posse dispensare in gradibus prohibitis.

Nec refert, vnde proueniat quòd non sit facilis ad Papam recursus, ob paupertatem, an ob aliam causam; Auctores enim generatim loquuntur. Idem docet Sancius lib. 8. disput. 9. num. 22. Idem locum habet, quando etiam possit facile adire, tamen caret sumptibus necessariis ad dispensationem impetrandam. est enim eadem ratio, quando ex mora adeundi graue incontinentiæ periculum imminet. quod etiam expressè tradit Siluest. Votum 4. qu. 4. & Sancius suprâ, citans ad hoc alios DD.

129
Si scandalum im-
pendeat.

Denique idem concedunt DD. non solum quando est periculum incontinentiæ, sed etiam impendente scandalo, vel damno tertij ex mora. ita Sancius suprâ: vbi ponit exemplum in iuvene voto Religionis adstricto, qui virginem deflorauit, & grauidam fecit; quæ nisi ab eo ducta fuerit, infamabitur: & periculum est in mora, ne vel à suis consanguineis impediatur, vel voluntas eius mutetur. Ad huiusmodi enim mala vitanda, multa conceduntur, quæ aliàs minimè licerent: vt patet in Parocho celebrante in excommunicatione vel irregularitate occulta, vitandi scandali vel infamiæ causa: in Rectore alienante rem Ecclesiæ, quando periculum est in mora, sine facultate Superioris, & contra iuramentum suum de non alienando sine illius licentia; vt probat Panormit. in cap. fin. de Ecclesiis edificandis, num. 8. in dispensationibus impedimentorum matrimonij; concurrentibus certis circumstantiis, vt DD. tradunt; & aliis multis casibus.

130

Quintus est, Quando votum castitatis est accessorium, & dependens ab alio voto principali in quo Episcopus possit dispensare; tunc enim sublato principali, cessat alterum: vt si voueas non ludere, non inebriari, non fornicari, sub pœna seruandæ castitatis, aut ingrediendæ Religionis. Ita Nauarrus cap. 12. num. 43. & 75. impleta tamen conditione, putat Episcopum non posse dispensare.

Sextus est, Si votum sit conditionale, & conditio nondum sit impleta. Ita Sotus lib. 7. de Iustit. qu. 4. ar. 3. Toletus lib. 4. cap. 18. vbi citat pro hac sententia Franciscum Victoriam. Ratio est, quia votum conditionale pendente conditione est imperfectum: Pontifici autem non censetur reseruati nisi absolutum & perfectum.

Septimus est, Si votum sit non solum conditionale, sed etiam pœnale, id est, emissum sub conditione in pœnam delicti; tunc enim probabile est, Episcopum posse dispensare, non solum ante impletam conditionem, vt vult Sotus suprâ, sed etiam post. Ita tenet Lopez cap. 44. vbi pro hac sententia citat Melchiorum Canum, & Barthol. Medinam. Couarruuias in c. Quamuis pactum. p. 1. §. 3. n. 12. Petrus Arragon. q. 88. art. 12. Vivaldus cap. 14. nu. 50. qui addit, multos Theologos Salmanticenses consultos ita respondisse, & doctissimos quosque Hispaniæ Episcopos in praxi secutos. Ratio est, quia tale votum non fit ex affectu illius boni, cum animus ab illo valde abhorreat; sed solum in pœnam, vt illius metu caueat à peccato. vnde non videtur tanti momenti, nec tam insolubile, quam si spontaneo affectu nuncupa-

tum esset; quale censendum quod Pontifici reseruatur. Confirmatur, quia cum istæ reseruaciones sint contra potestatem ordinariam Episcoporum, strictè sunt interpretandæ, vt Sotus ait. communitè autem per votum castitatis & Religionis non solet tale votum pœnale intelligi, sed quod directo affectu emissum.

Sed difficultas est de aliis votis conditionalibus, impleta conditione: vt, Voueo Religionem vel castitatem si hunc morbum euasero; si hoc periculo defungar. Multi putant, etiam tunc Episcopum posse dispensare. ratio est, quia non fit ex directo affectu ad rem votam, sed ad beneficium quod à Deo expectamus. Vnde obtento beneficio multi dolent se obstrictos voto, indicantes animum per se à voto auersum; sed solo timore mali impendentis incitatos, qui multa cogit quæ aliàs nollemus.

Nec refert, quòd conditione impleta videatur absolutum & perfectum; quia radix est imperfecta, quæ in illo voto intrinsecus imbibitur, quæ est affectus ille indirectus, vnde totum votum procedit. Non intelligitur autem reseruati nisi votum perfectum, nimirum, quod & in se iam perfectum est, non amplius pendens, & in sua radice tamquam ex affectu directo ad rem promissam procedens. ita Sancius lib. 8. disput. 10. num. 13. vbi pro ea citat aliquot recentiores; addens eam teneri à viris doctissimis nostræ ætatis, esseque in praxi virorum sapientissimorum frequentissima receptam. Eandem tenere videtur Toletus lib. 4. c. 18. citans pro ea Victoriam: *Notandum, inquit, quod notauit Victoria; ista quinque vota tunc reseruati Pontifici cum absoluta sunt; cum vero conditionata vel pœnalia, pertinent ad Episcopum.*

Verùm etiam hanc sententiam non negem esse probabilem, tamen contrariam puto veriores; quia tale votum impleta conditione videtur actiùs obligare, quàm simile factum absolute. Ratio est: Nam factum est in modum contractus onerosi, & Deus præstitit contractum ex sua parte: vnde nisi ipse etiam impleat, est ingratus & iniustus in Deum. quare talis hac ex parte videtur magis reprehensibilis, quàm si gratis promississet; sicut qui promittit Deo sacrificium gratuitum & voluntarium, non videtur tantum obligari, quantum qui promittit ad impetrandum aliquod beneficium, impetrato beneficio. Nec refert quòd affectus non sit principaliter ad votum, quia saltem est secundariò. amatur enim vt medium ad obtinendum id quod volumus. Itaque securius est in hoc casu adire Pontificem.

Octauus est, Si votum fiat disunctiùe, hoc modo, Voueo castitatem, vel ieiunium perpetuum: tunc enim in potestate vouentis est eligere alteram partem, in qua Episcopus potest dispensare; iuxta regulam Iuris 70. *In alternatiuis electio est debitoris, & sufficit alterum impleri.* Quòd si eligat partem Pontifici reseruatum, Episcopus non potest: semel autem facta electione, non potest vouens mutare; vt docet Azorius lib. 11. cap. 19. qu. 10. Sancius lib. 8. de matrimonio, disput. 9. num. 14. Cuius ratio est, quia iam obligationem determinauit ad materiam reseruatum, perinde ac si nihil aliud vouisset. Hanc enim vim habet illa electio. Nam in alternatiuis vouetur id quod postea re melius considerata vouens est electurus. Simile est in promissione, quæ tali modo

131
Vota con-
ditionalia.

132

do facta est homini. sicut enim ubi debitor semel elegit, idque creditori patefecit, non potest mutare illo invito: ita cum Deus cor intueatur, si semel tacitus elegisti, non potes retractare; quia hoc vouisti.

133
Praelati
Regulares.

Dico Secundò, Praelati Regularium habentes potestatem quasi Episcopalem in suos, possunt dispensare in votis Regularium, sicut Episcopus in votis suorum subditorum. Est communis sententia DD. Soti lib. 7. q. 4. art. 3. Nauarri num 75. Silii. Votum 4. nu. 3. & aliorum. quando enim aliqua Religio vel Monasterium eximitur per Pontificem à iurisdictione Episcopi, conceduntur Praelato ea quæ sunt iurisdictionis Episcopalis. Hinc fit ut etiam possint dispensare in voto transeundi ad Religionem arctiorem; quamvis forte non possint illud irritare; & ut professus in arctiori, transeat ad laxiorem; si tamen consensus communis Capituli adsit, ut insinuat Sotus supra, & docet expressè Siluest. Votum 4 num. 3. §. Sextum.

In votis Nouitiorum non possunt dispensare, nisi forte habeant in omnes domesticos quasi Episcopalem auctoritatem, ut ferè Abbates exempti habere solent. Praelati non exempti non habent hanc potestatem, sed Episcopus, cui cum toto Monasterio subsunt. Insinuat Nauarrus supra num. 75. §. Tertio.

Abbatissæ, etsi possint vota suarum Monialium irritare, non tamen possunt propriè in illis dispensare; quia iurisdictione spiritali carent, ut docet Sotus in 4. d. 20. quæst. 1. art. 4. Viualdus num. 95. & alij. vide Siluestrum. v. Femina. num. 4.

134
Mendicantes.

Dico Tertio, Confessores Ordinum mendicantium possunt ex privilegio Pontificis dispensare in omnibus votis in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis ultra duas dietas, (id est 40. miliaria Italica) ut patet ex compendio privilegiorum Fratrum Minorum nu. 115. quorum privilegia cum reliquis Ordinibus mendicantium communicantur. Imò etiam in hoc voto possunt, si sint participes facultatis à Martino V. concessæ Benedictinis. Vide Nauarrum cap. 12. num. 79. & Lopez cap. 50. Vnde etiam possunt dispensare in voto non petendi dispensationem; hoc enim non est reseruatam. Imò sæpè per se definit obligare; nempe quando ratio dictat expedire ut petatur. Hæ tamen facultates non competunt singulis personis, nisi per Superiorem & iuxta illius moderationem. Sed quid singuli Ordines possint, ex eorum privilegiis colligendum est.

Non extenditur ad obligat. heredis.

Aduerte tamen, hanc facultatem dispensandi & commutandi in votis, non extendi ad obligationem quam testator imponit heredi. v. g. ut mittat hominem ad B. Virginem Lauretanam; aut quam heres ex voto reali ipsius defuncti contrahit. Nam hæc obligatio non est immediatè ex voto, sed quasi ex contractu. hoc ipso enim quo adit quis hereditatem, suscipit omnia onera quæ defunctus imponit, vel quæ ipse, si realia erant, iam contraxerat, hæc enim ad heredem transeunt. Sicut si promittam Titio me eius votum impleturum, non possum à Regularibus hoc onere liberari; quia teneor ex pacto, & cederet in præiudicium tertij.

Nec obstat quòd origo sit ex voto, & votum possit commutari: quia non potest commutari nisi ex consensu vouentis, qui cum non uiuat, non potest consentire.

Dico Quarto, Parochi non habent potestatem, ne in articulo quidem mortis, dispensandi aut commutandi vota, præsertim in id quod notabiliter minus est. Probatur, quia cum careant iurisdictione fori externi, non habent potestatem ex officio; & cum nulla extet hac de re eorum priuilegia, non possunt dici habere ex priuilegio. Idem dico de Archidiacono & Decanis; nisi consuetudo legitime præscripta aliquid illis hac in re alicubi tribuerit: quia per hanc ius Episcopale acquirere possunt, ut rectè Siluester, Votum 4. num. 3. §. Septimum, ex Archidiacono & Paludano.

Quod ad formam in dispensatione seruandam attinet, tria requiruntur. Primò, ut præcedat cognitio causæ: si enim causa iusta non subsit, non valet dispensatio. Etsi enim cum quis in sua lege dispensat, non sit necessaria cognitio causæ, (nam valet etsi causa non subsit) quando tamen inferior dispensat in lege Superioris, vel in iis quæ ius Superioris concernunt, est necessaria, ob rationem allatam. Vnde etiam Summus Pontifex diligenter debet inquirere de causæ grauitate, priusquam dispenset in votis: quia agitur de Iure diuino. Si tamen ex parte rei subsit iusta causa, dispensatio valet, etsi cognitio causæ non præcesserit. ita Fumus v. Dispensatio, num. 14. in fine, Sancius l. 8. disput. 17. num. 11. citans pro hac sententia Innocent. & Ioannem Andr. in cap. Diuersis. 5. de clericis coniugatis: & alios. Ratio est, quia cognitio ista non est absolutè necessaria ut valeat dispensatio, sed ut legitime & absque peccato fiat, nec se exponat periculo faciendi actum inualidum contra ius Dei, vel Superioris, & inuoluendi subditum multis peccatis, saltem materialibus.

Quòd non sit absolutè necessaria, patet: quia neque Iure naturæ, cum hac in re sufficiat potestas & voluntas dispensantis; neque Iure positivo, quia etsi hoc Ius requiratur causæ cognitionem, nusquam tamen irritum reddit, si contrarium fiat.

Nec obstat Concil. Trident. sess. 25. cap. 18. ubi dispensationem sine causæ cognitione factam vult censeri subreptitiam. quia loquitur de præsumptione fori externi. Idem statuit de dispensatione quæ non est gratis facta; & loquitur non tantum de ea quæ ab inferioribus Praelatis, sed etiam quæ à Summo Pontifice facta est. Valeret autem lex temerè indicta, si causa boni communis intercedat; cur non etiam legis dispensatio? Item valet electio sine examine causæ, si reuerè erit dignus; ut colligitur è contrario sensu, cap. Nihil. 44. de electione; ex illis verbis, *Deiciendus est indignè promotus*, ergo, &c.

Secundò, ut fiat aliquo actu externo, qui possit exterius percipi. debet enim ita fieri ut possit alteri innotescere; alioquin nihil ei proderit. Confirm. quia dispensatio est quædam condonatio & remissio debiti: sed condonatio non potest fieri inter homines, nisi mediante actu externo; sicut nec donatio, nec promissio. Sicut enim homines constant animo & corpore; ita actus, quibus inter se communicant, debent constare volitione interna, quæ est veluti anima operis, & opere externo. Non est tamen necessarium, ut verbis fiat (quamuis hæc sint maximè accommodata) potest enim fieri ipso opere. ut si Praelatus conscius voti, iubeat vel concedat ut contrarium fiat: tunc enim censetur velle dispensare, præsertim si iusta causa subsit; quamuis cognitio causæ non præcesserit. Simili enim modo

135
Parochi.

136
Seruanda
in forma
dispensationis.
Cognitio
causæ.

Non est
absolutè
necessaria.

137
Actus ex-
ternus.

Potest fieri
ipso opere.

modo potest dispensare in legibus & in irregularitate. Neque id solum locum habet in Summo Pontifice, sed etiam in Episcopis, & aliis potestatem dispensandi habentibus: quia Iure natura factis est, ut quouis signo suam voluntatem declarent, & nullo Iure positivo statuitur contrarium. Sic Episcopus ordinando eum quem scit esse irregularem, ipso facto cum eo dispensat, si alias poterat. Similiter Superior mittens subditum ad Ordines, ita Siluester ex Archidiacono v. Irregularitas, in fine; & v. Dispensatio, in fine. Idem generatim docet de dispensatione voti & quavis alia Siluester Votum, 4. num. 8. citans Paludanum & Archidiaconum; & D. Antoninus par. 2.

Potest fieri
dissimula-
tione.

tit. 11. cap. 2. §. 9. sequuntur passim recentiores. Imò si Superior sciens votum vel impedimentum subditi videat illum facere contrarium, & non contradicat eum facile possit, censetur hac ipsa dissimulatione dispensare, ut expressè docet Paludanus in 4. d. 38. qu. 4. art. 4. *In omnibus*, inquit, *in quibus Prælati non est taxatus modus cum formula dispensandi, eo ipso dispensant; quo faciunt effectum animi dispensandi, vel sciunt, & non contradicunt, quando facile & libere contradicere possunt.* Idem iisdem verbis docent D. Antoninus & Siluester loco citato, & multi recentiores. Ratio est, quia nisi tali dissimulatione intenderent dispensare, grauius peccarent non reprehendendo, cum nullam habeant causam tacendi, ut supponimus. Confirm. Quia talis dissimulatio censetur rati habitio de prærenti; quæ etiam confert iurisdictionem ad assistendum matrimoniis, & ad audiendas confessiones, ut multis probat Sancius lib. 3. de matrimonio, disput. 35. Ut cum Parochus videt aliquem sacerdotem assistere matrimonio, vel audire confessiones, nec contradicit, cum facile possit, hac enim patientia & tacurnitate censetur ei conferre auctoritatem pro illis actibus in quibus dissimulat; alioquin grauissimè peccaret non contradicendo, ergo eadem sufficiunt ad dispensationem.

Rati habi-
tio de præ-
renti.

Non obstat, quòd ad absolutionem ab excommunicatione non sufficiat, ut Prælati ipso facto ad communionem admitat, aut cum eo communice, ut constat ex Cap. Cum consideres, & Panormitan. ibidem num. 3. de sententia excommunicationis; & Clement. Si Summus Pontifex, eodem; quia forma verbalis, qua ea absolutio significatur, à Iure est præscripta, ut ex illis locis constat; quamuis non certorum verborum formula, secus in dispensationibus.

138
Accepta-
tio.

Tertio requiritur acceptatio eius qui vouit: sicut ut condonatio debiti valeat, requiritur acceptatio debitoris. Confirm. Quia Deus non remittit obligationem voti nisi volenti eo solui; ita nec Prælati concessum remittere nomine Dei nisi volenti. Secus est in dispensatione legum, impedimentorum matrimonij, irregularitatum, absolutione censurarum, & similibus, quæ à sola voluntate Prælati pendunt: in his enim non requiritur acceptatio nec consensus eius qui liberatur.

Fide acce-
ptans.

Si quis fide acceptauit dispensationem vel commutationem voti, non est liber: potest tamen se liberare mutando animum, & interius acceptando, vel priorem inualidam acceptationem ratificando. Idem locum habet in contractibus, quando quis fide vel metu consensit, potest enim postea etiam longo tempore interposito interius

consentire. Ratio est, quia nihil defuit ad firmitatem actus præter consensum internum acceptantis, cum exterius acceptauerit, atque consensus internus semper præstari potest, quando alter manet in priore consensu. De quo vide supra cap. 18. dubit. 7. in fine.

DUBITATIO XIX.

Utrum Summus Pontifex possit dispensare in voto solemnem castitatis, præsertim Religiosorum.

D. Thomas art. 11.

Votum solemnem castitatis est duplex: aliud est annexum Ordini sacro, aliud in professione Religionis approbatæ nuncupatur. 139

Quod ad prius atinet, Auctores ferè consentiunt (exceptis paucis qui continentiam Iure diuino connexam putant Ordini sacro) Pontificem posse in hoc voto dispensare, hoc autem potest fieri dupliciter. Primo, tollendo legem calibatus ab ordinatione alicuius; seu concedendo ut ordinetur absque obligatione vel promissione continentie. Sed hoc non tam esset dispensare in voto continentie, quam in lege Ecclesiastica, per quam hoc votum Ordini sacro est coniunctum. talis enim nunquam vouit, sed solum exemptus est ab obligatione vouendi & continendi, quæ obligatio est solum ex lege Ecclesiæ. Vnde valet illa dispensatio, etiam si facta esset absque causa; & si ille accepto Ordine matrimonium contraheret, esset validum: neque peccaret contrahendo matrimonium & petendo debitum, nisi sicut is qui vitur dispensatione absque causa obtenta. Vnde seposito scandalo non esset peccatum mortale in illo contractu; quia solum esset quadam inordinatio, quæ in eo sita est, quòd pars vna non sit conformis alii in eodem corpore. multò minus in petitione debiti, cum ille nullo voto aut præcepto positivo impediatur.

Votum an-
nexum Or-
dini sacro.

Secundo, dispensando propriè in voto iam facto. Sed hæc dispensatio non erit valida ad tollendam obligationem continentie, si non subbit iusta causa: erit tamen valida ad tollendum impedimentum matrimonij. Vnde si contrahat matrimonium, erit validum; non tamen poterit petere debitum: quia vis voti manet, quantum patitur status, tenebitur tamen reddere ob vinculum iustitiæ, quo coniugi est obstrictus: sicut is qui fecit votum simplex castitatis ante matrimonium, nam votum illius iam solum habebit vim voti simplicis.

De altero, nimirum de voto castitatis Religiosorum, est maior difficultas. D. Thomas art. 11. docet Pontificem hoc votum non posse relaxare. Ratio ipsius est, quia votum castitatis statui religio est essentialiter annexum; ac proinde non potest ab hoc statu diuelli. si non potest diuelli à statu, non potest etiam tolli ab homine habente illum statum; quia ille status ab homine tolli non potest, quod probatur, quia hic status consistit in quadam consecratione, per quam totus homo Deo consecratur: id autem quod semel Deo consecratum est, non potest amplius ad vsus humanos conuerti, nec potest desinere esse consecratum, quamdiu integrum manet: ut patet in calice consecrato,

Voti casti-
Religiofo-
rum.

140
Sententia
D. Thomæ,
non posse.

secrato, & in homine consecrato in sacerdotem: ergo qui semel est consecratus Deo per votum solemne Religionis, non potest definire esse Religiosus. Unde ulterius infert D. Thomas, non posse dispensari in voto solemnium paupertatis, & obedientiae: quia etiam haec vota essentialiter statui religioso sunt annexa, vel potius innexa, & intrinsece inclusa. Hic est totus discursus D. Thomae, qui consistit in duabus propositionibus: Prior est, *Votum castitatis, seu debitum continentiae essentialiter est annexum statui religioso.* Haec est verissima, & ab omnibus conceditur, & aperte colligitur ex cap. Cum ad Monasterium. 6. de statu Monachorum. Altera est, *Status religiosus non potest tolli ab homine, quamdiu vivit.* Haec est ambigua, & à multis negatur. Eandem sententiam de voti castitatis insolubilitate, licet non eodem fundamento, tenet Altsiodorensis lib. 3. Summae cap. 22. Glossa in d. cap. Cum ad Monasterium. & in caput 1. de voto & voti redemptione. Albertus in 4. d. 38. art. 7. Almainus tract. de potestate Papae cap. 3. Siluest. v. Votum 4. q. 5. Sorus l. 7. de Iustitia q. 4. art. 2. Petrus Arragon. q. 88. art. 11. Armilla v. Dispensatio, n. 12.

Duo fundamenta illius sententiae.

Probatio illius.

Probatur haec sententia Primò, Quia nihil est melius continentiam, quo possit pro ea fieri compensatio, iuxta illud Ecclesiastici 26. *Omnis ponderatio non est digna anima continentis.* Ita Altsiodorensis & Glossa. Secundò, In voto solemnium est traditio sui; in voto simplici solum promissio: id autem quod semel est traditum, non potest unquam repeti. Tertiò, Apostolus Matthaeus noluit dispensare cum Iphigenia Regis Aethiopiae filia, ut Hirtaco nuberet, etiam si ipse promitteret conversionem sui, & regni. Quartò, Si posset dispensare in voto continentiae solemnium, fieri posset ut vivente priori vxore posset quis ducere secundam: ut si Petrus ducta vxore, ante matrimonium consummatum ingrediatur Religionem; deinde Papa dispensante egrediatur, & ducat secundam. Quintò, Si talis voti vinculum posset tollere, posset etiam vinculum matrimonij rati, quod soluitur professione: atqui hoc videtur absurdum: ergo.

Contrarium verius.

141

Verum contraria sententia est multò probabilior, pro qua Dico Primò, Summus Pontifex, si iusta causa sublit, potest relaxare votum solemne castitatis Religiosorum, & cōcedere, ut matrimonium contrahant. Est communis sententia Canonistarum, teste Navarro c. 12. n. 77. & ferè cōmunis Theologorum, Henrici quodlib. 5. q. 28. D. Thomae in 4. d. 8. quaest. 1. art. 4. quaestiuicula 1. ad 3. quantumvis hic mutarit sententiam, ex pravo intellectu Decretalis Cum ad Monasterium, teste Caietano, Richardi ead. dist. ar. 9. quaest. 1. Scoti ibid. q. vnic. Duran. ibid. q. 2. Palud. ibidem quaest. 4. ar. 4. concl. 11. & 12. Anton. 2. part. titul. 11. c. 2. §. 9. Angeli v. Votum q. 5. Caiet. ar. 11. Idem tenent plerique recentiores.

Probatur Primò, Pontifex potest relaxare votum simplex castitatis perpetuae: ergo etiam solemne. Consequentia probatur, quia solemnitas voti sola Ecclesiae constitutione est introducta; ut expressè habetur cap. vnico, de voto, in 6. vbi Pontifex sic ait: *Quod votum debeat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax, nos consilere voluisti. Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola Ecclesia constitutione est inuenta, matrimonij*

Votum solemne quod sit.

vero vinculum ab ipso Ecclesiae capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso & in statu innocentiae instituentem unionem & insolubilitatem accepit; praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, Illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut professionem expressam vel tacitam alicui de Religiosis per Apostolicam Sedem approbatis. Idem expressè habetur in constit. Gregorij XIII. quae incipit, Ascendente Domino. Si solemnitas est ex sola Ecclesiae constitutione: ergo potest ipsa in ea dispensare: quia potest relaxare suam constitutionem.

Ex his aperte colligitur, voti solemnitatem consistere in eo, quòd ipsum coniunctum sit professioni Religionis approbatae, vel susceptioni Ordinis sacri, & ex coniunctione cum tam praeclearo actu, solemne dici: ait enim Pontifex, *votum solemnizari per susceptionem Ordinis sacri, aut professionem Religionis.* id est, solemne fieri, consistit ergo solemnitas eius formaliter in hac coniunctione. Sicut enim per Ordinem sacrum tradit quis sese irrevocabiliter statui Ecclesiastico: ita per professionem tradit se irrevocabiliter statui Religionis; ita ut nec ipse unquam possit Religionem deserre, nec Religio possit illum dimittere sic, ut omni vinculo quo se obstrinxerat, maneat solutus. talem enim traditionem ex vsu recepto nomen professio insinuat. Dicitur autem haec solemnitas esse ex constitutione Ecclesiae: tum quia Ecclesia approbat Religiones; sine qua approbatione vota illa non essent solemnia, sed simplicia; & Ordini sacro annectit votum castitatis: tum quia statuit ut ratione huius coniunctionis censentur solemnia, & certos effectus habeant, quos per se non haberent: nempe ut votum castitatis reddat inhabilem ad matrimonium, & votum paupertatis priuet omni dominio, & reddat illius incapacem; ut singula ex tribus inducant firmiorem minusque solubilem obligationem: quae omnia, ipsa per se non possent. Denique quia Ecclesia potest plura vel pauciora ad voti solemnitatem requirere; plures vel pauciores effectus ei tribuere; sicut etiam ad solemnitatem matrimonij plura vel pauciora potest exigere. Sic olim erat votum solemne, etiam si Religio non esset à Sede Apostolica approbata, ut infra diceretur.

Hinc patet, solemnitatem voti Religiosorum non consistere in aliqua benedictione vel consecratione, ut innuit D. Thomas: quia nulla benedictio aut consecratio est necessaria, praeter eam, quae fit ab ipso vouente per votum, quo se Deo consecrat, qualis reperitur etiam in voto simplici. Nec refert quòd in aliquibus Religionibus fiat aliqua benedictio à Superiore, quia haec non fit in omnibus; non enim in Ordinibus mendicantium: nec est constitutiva rei sacrae; quia res accipiat quoddam esse sacrum, maneatq; immobiliter ad usum sacrum deputata; (qualis est benedictio aquae, salis, vestium sacrarum) sed inuocatiua tantum, ut Deus peculiariter ope sua Religioso adhaerat; sicut benedictio Episcopi & Pontificis super populum, & benedictio mensae, &c. de quo vide Caietanum art. 11.

Neque etiam in traditione & acceptance, ut Non in volunt Sorus supra, Arragonius, & quidam alij. Quia si loquamur de traditione respectu Dei, & acc-

In quo solemnitas voti sit.

Non consistit in benedictione.

traditione.

acceptatione ipsius Dei, hæc non magis fit in voto solemnium quam simplicium. Vtrumque enim votum est promissio alicuius rei. Nam votum generatim definitur promissio. quod si votum solemnium etiam est promissio, quia Deo aliquid promittitur solvendum: ergo non est illius traditio. Hæc enim inter se multum differunt; & se habent sicut via & terminus; & sicut contrahere debitum & solvere. Nec obstat quod in professione homo dicatur tradere seipsum ad cultum Dei, quia hæc traditio, quatenus respicit Deum, nihil est aliud quam deputatio vel obligatio sui ad talem cultum, nempe ad abstinentiam libidinis, & paupertatem, &c. quæ deputatio non privatur dominio corporis: & non minus fieri potest voto simplici quam solemnium. Acceptatio quoque ipsius Dei, non minus habet locum in voto simplici quam solemnium; vtrumque enim illi gratissimum: sicut non minus acceptat promissiones quam oblationes.

Si autem loquamur de traditione respectu Prælati, eiusque acceptatione, hæc non fit præcisè vi voti, sed est quid annexum voto in professione, maxime voto obedientiæ; vt dicitur cap. sequenti dubit. 8. Sed hæc traditio potest etiam esse annexa voto simplici; vt patet in iis qui nuncupant tria vota substantialia in nostra Societate; statim enim emissis votis post biennium probationis in Societate, manet vouens eodem modo ligatus, quo Professus, & transit in ius Religionis. Et sanè nulla fingi potest ratio, cur homo non possit se tradere tum Deo, tum Prælato per votum simplex, ita vt Prælati in illum ius acquirat, accedente præsertim ordinatione Ecclesiæ, qua hic modus approbatur, & Prælati auctoritas acceptandi datur.

Secundò Probatur, Pontifex potest dispensare in voto solemnium Clericorum; vt fatetur D. Tho. & communis sententia Doctorum, cur non etiam in voto Monachorum? non enim illud est minus solemnium, nec minus continet sui traditionem, quam hoc. Nec refert quod illud non sit essentialiter annexum Ordini sacro, sicut hoc statui Religioso; quia inde solum sequitur, fieri non posse vt quis maneat Religiosus soluto voto; sicut fieri potest vt quis maneat ordinatus sublato voto. non autem sequitur votum tolli non posse vnà cum statu religioso. imò conuincit, ipsum quoque statum religiosum auferri posse; cum hic non constet nisi votorum obligatione.

Exemplis probatur.

Tertiò Probatur, Quia vt fide digni Auctores referunt, Pontifex sæpè vsus est hac potestate. Primò, Cum Nicolao Iustiniano Monacho professò dispensauit Alexander III. vt posset vxorem ducere; ne familia tam illustri extingueretur, ex qua susceptis sex filiis & tribus filiabus, ad Monasterium rediit, miraculis postea clarus. Habetur in Vita S. Laurentij Iustiniani, & apud Volterranum lib. 4. Historiæ. Secundò, Cum rege Aragoniæ, qui cum esset Monachus professus, & eius pater sine liberis obiisset, solutus est votis monasticis vt vxorem duceret, teste Paludano d. 38. qu. 4. art. 4. conclus. 11. & referunt Annales Hispaniæ. Tertiò, Cum Constantia filia regis Siciliæ, Moniali professà, vt nuberet Henrico VI. refert Platina in Caestino III. Omitto alios: atqui durum est, dicere, Pontifices in re tanti momenti errasse.

142 Dico Secundò, Potest etiam dispensare in voto solemnium paupertatis & obedientiæ, si legitima cau-

sa subsit, non enim in his est maior difficultas, quam in voto castitatis. Dixi, si subsit causa, quia Nauar. comment. 2. de Regularibus num. 17. putat, non posse iustam causam subsistere, præsertim vt dispensetur in voto paupertatis; quia sufficit vt ei concedatur plena administratio absque dominio, quæ tamen sit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis: hæc enim sufficiens est ad omnes actus necessarios; vt ad donandum, ad acquirendum, ad contrahendum; ad condendum testamentum. Idem videtur dicendum de voto obedientiæ; non enim necesse est hoc vinculum laxari, sed satis est materiam subtrahi, tollendo subiectionem, quam habet subditus ad suum Prælatum. & tunc manebit soli Pontifici subiectus; sicut accidit quando Monachus fit Episcopus vel Cardinalis. Hæc sententia est valde probabilis.

Contrariam tamen puto veriolem, nempe posse iustam causam subsistere; vt si dispensetur vt Monachus fiat Princeps secularis & ducat vxorem; tunc enim est sufficiens causa vt votum paupertatis ei omnino laxetur, ne affectu proprietatis, largitionibus, sumptibus superfluis, alijsve modis, qui facillè in hoc statu possunt occurrere, peccet contra votum. Idem dico de voto obedientiæ. imò videtur hoc votum sponte cessare hoc ipso quo definit esse Religiosus; quia non intelligitur nisi de iis, quæ continentur in regula, vel ad regulæ obseruationem diriguntur. In Episcopis tamen non definit, sed mutatur in obedientiam congruentem illi statui; ipsorum tacito vel expresso consensu, vel nouo & formali voto.

Notandum est, Sorum lib. 10. de Iustitia qu. 5. art. 7. insinuare, re ipsa dispensatum esse cum Episcopis Monachis in voto paupertatis: nam quod ad prouentus Ecclesiasticos attinet, Episcopi ex Monachis facti eodem modo obtinent portionem sibi assignatam, quo Episcopi seculares suam: at qui seculares ita suam obtinent vt eius habeant dominium, vt verior sententia tenet: ergo etiam Episcopi Monachi dominium habent portionis suæ. Idem probatur de bonis secularibus ex c. 1. Statutum. 18. qu. 1. vbi sic dicitur: Statutum est, vt Monachus, quem electio canonica à iugo regulæ & professionis monachalis absoluit, & sacra ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat. Vbi duo dicuntur: Alterum est, Monachum per electionem canonicam (intellige confirmatam à Pontifice) liberari à iugo regulæ, ita vt non amplius teneatur ieiuniis, abstinentia carnis, vsu laneorum, silentio, & reliquis monasticis obseruationibus in regula præscriptis. Excipio tamen habitum, quem vt seruent, statutum est cap. Clerici officia, de vita & honestate Clericorum: quamuis in quibusdam locis, vt in Italia, teste Sorro, hoc non seruetur. Alterum est, illum habere ius successionis hereditariæ; quod intellige, etiam si fortè illud fuerit quasi extinctum; vt si sit ex Ordine mendicantium: quia non fuit extinctum absolute, sed sub conditione, nisi fieret Episcopus. Confirmatur, quia Pontifex huiusmodi Episcopis interdum concedit potestatem vt emant bona secularia, eaque relinquunt quibus volunt; quod est signum dominij.

Sed verius est, eos hoc voto non esse absolutos, sicut nec voto obedientiæ; ita D. Thomas expressè art. 11. ad 4. estque communis sententia

Bbb 4

Verius est, non esse liberos.

Docto-

In voto paupertatis & obedientiæ.

Votum obedientiæ in Religioso Episcopo.

143 De Episcoporum paupertate.

Liberatur à iugo regulæ.

Succedit in hereditatem.

Doctorum, Nauarri, de rectoribus qu. 3. monit. 12. Siluestri Religio 6. num. 10. Armilla v. Religio n. 25. & aliorum. Ratio est, quia obligatio horum votorum est de essentia Religionis, vt aperte colligitur ex cap. Cùm ad Monasterium. Vnde cùm per Episcopatum non desinat esse Religiosus, non soluitur his votis.

Deinde quia necesse non est, Religiosum Episcopum factum, esse dominum suæ portionis: satis est vt habeat administrationem, qualem Canonones illi permittunt, tum ad suam sustentationem, tum ad pias causas: hæc enim administratio sufficit ad tales actus. Ius autem successione non acquirit per Episcopatum; nam illud etiam antè habebat, existens Monachus, vt constat ex cap. 9. Si qua mulier. 19. qu. 3. & ex L. Deo nobis. C. de Episc. & Cler. sed per Episcopatum fit, vt si quid in posterum acquirat, id cedat non Monasterio, sicut antè, sed ipsius Ecclesiæ: & hoc est quod disponitur cap. Statutum. Quòd si ipse sit ex Ordine mendicantium, extinctum quidem aliquo modo fuit ius successione, sed per Episcopatum reuiuiscit in commodum Ecclesiæ ipsius, ita vt Ecclesiæ habeat dominium rei sic acquisitæ, & ipse administrationem. Vide Siluestrum Religio 4. quæst. 10.

144
Ad argu-
menta.
Status re-
lig. potest
toll. ab ho-
mine.

Alias con-
secrationes
toll. posse.

Quid con-
secratio Co-
nsecratio.

145
Ad ar-
gumenta
aliorum.

Ad argumentum D. Thomæ, Negandum est, statum religiosum non posse auferri ab homine: hic enim status non in aliqua consecratione distincta ab obligatione votorum consistit, vt supponit argumentum, sed in ipsa votorum obligatione. vnde cùm obligatio huius voti possit auferri ab homine, (vt patet in voto sacris Ordinibus annexo) etiam consecratio illa, quæ est per votum. Quod confirmatur exemplo aliorum, quæ sic Deo consecrantur, (vt sunt omnia, quæ ex voto offeruntur) quæ tamen ex causa ad vsus profanos conuerti possunt. Sic etiam panes propositionis etiam Deo essent consecrati, & soli sacerdotes iis vesci possent; tamen in necessitate Dauid & socij illis vti fuere. Idem sepe factum in armis, vestibus Deo oblatis, in terra consecrata, & similibus. Ad- do, valde probabile esse, etiam alias consecrationes ab Ecclesiâ institutas, à rebus consecratis & benedictis tolli posse eiusdem Ecclesiæ auctoritate, rebus ipsis saluis manentibus; vt in templis, altaribus, calicibus, aqua benedicta, vestibus sacris, & similibus. Cur enim Ecclesiâ non possit constituere vt templum consecratum amittat consecrationem dum polluitur vel profanatur: aut calix dum à fabro malleo tangitur? vel etiam vt consecratio non duret nisi ad certum tempus, & tunc per se euanescat? omnis enim talis benedictio & consecratio non videtur esse aliud quàm deputatio ad vsum sacrum, cum inuocatione diuinæ virtutis & assistentiæ vel ad debitum vsum, vel ad excitandam reuerentiam, & deuotionem, vel ad consequendum finem nostrarum precum: nam duo illa abundè sufficiunt vt res dicatur consecrata, & sacra. nec alia ratione videtur Ecclesiâ posse rei sanctitatem conferre extra Sacramentum: atqui illa, nimirum deputatio & inuocatio, non habent vim nec durationem, nisi secundum intentionem deputantis & inuocantis.

Ad aliorum argumenta:

Ad primum respondet D. Thomas, negando nihil esse, quo continentia possit compensari: oratio enim & contemplatio multò est præstantior,

cùm sit finis continentia; & tamen votum horum potest relaxari. Adde, aliam esse Scripturam mentem: non enim continentiam ceteris virtutibus, sed talentis auri præferit.

Ad secundum: Etiam in voto simplici est traditio sui, non tantum promissio; quia per votum simplex castitatis homo statim tenetur ad omnia ea, ad quæ per votum castitatis solemne. Imò per vota simplicia potest quis fieri verus Religiosus, si Sedes Apostolica ad hunc finem ea acceptet, vt infra cap. 4. r. n. 8. ostendemus. Vnde verum non est, votum simplex se habere ad solemne sicut sponsalia ad matrimonium; nisi loquamur de certo & particulari illo voto simplici, quo quis vouet se fore Religiosum: hoc enim ad vota solemnia se habet vt sponsalia ad matrimonium, & de hoc intelligendus est D. Thomas art. 11.

In voto
aliquo sim-
plici etiam
est traditio.

Ad tertium: Non est certum, Hirtacum petiisse ab Apostolo vt cum Iphigenia dispensaret, vt Caietanus & alij testantur. Deinde si petiit, non videtur sincero animo promississe conuersionem. Denique illis initijs Ecclesiæ fortè non erat expediens.

Ad quartum: Negandum est illum habiturum duas vxores viuas: nam prior defuit esse vxor, per professionem Religionis soluto vinculo coniugali.

Ad quintum: Non est absurdum, sed probabilius quàm oppositum, Pontificem ex causa posse dispensare in matrimonio rato non consummato. Ita tenent communiter Doctores Canonum & Legum, Nauarrus cap. 22. num. 21. non condicit Paulum III. & Pium IV. ter vel quater se petente dispensasse. Caietanus tom. 1. Opusc. 28. dicit Pontifices suo tempore sepe dispensasse. Henriquez, de matrimonio cap. 8. num. 11. dicit Gregorium XIII. dispensasse vno die cum vndecim. sed plura de hoc dicenda tractatu de matrimonio.

146
Potest dis-
pensare in
matrimo-
nio rato
non con-
summato.

D V B I T A T I O XX.

Vtrum obligatio voti habentis tacitam vel expressam conditionem cesset, si conditio tollatur per vim vel fraudem vouētis?

Verbi gratia, Vouit aliquis Deo & Superiori, perpetuò seruire in Hospitali, vel Monasterio, sub hac tacita vel expressa conditione, Si Superior me voluerit retinere; & Superior hoc votum legitime acceptauit; Queritur, Vtrum obligatio voti cesset, si ipse de industria malè seruiendo, damna suppellectili inferendo, & omnia turbando dimissionem extorserit.

147

Pars affirmans probari potest, Primò, Quia si Probatio Superior talem dimitteret sponte sua; ille ad nihil ampliùs teneretur, etiam si nulla causa dimissionis subesset; idque ob tacitam conditionem, quæ voto ipsius subest: ergo similiter in casu proposito liber erit, cùm absolute dimittatur.

Secundò, Illud votum habebat tacitam conditionem, Si me retinere voluerit: ergo si retinere noluerit, & dimiserit, ero liber. Conseq. probatur, Quia non refert ex qua causa proueniat quòd non sit retinere, quando reuera liberè dimittit.

Sed contrarium videtur omnino tenendum, scilicet talem non esse tutum, nisi paratus sit impedi-

148
Contrariū
seruendum.

pedimenta per militiam posita tollere, & rursus ad obsequium præstandum se offerat, si Superior velit eum admittere. Ita expressè docet Richardus in 4. dist. 38. ar. 5. qu. 3. Siluest. *Votum 2. qu. est. 2. Angelus v. *Votum 1. num. 10. & alij.**

Probatur Primò, Si alicui elocare operam ad decennium certo pretio, sub hac conditione, si ille me volet in domo sua retinere, & postea male agerem, eo sine ut me domo sua eiciat, vel conuictis aut minis id extorquerem, nemo censeret me liberum, nisi rursus offerrem me ad præstandum contractum promissa emédatione, quia fraus & iniuria nemini debent patrocinari: & sicut contractus debent esse liberi, ita etiam distractus, seu contractuum dissolutiones. atqui hic noster casus est planè similis: non enim minor libertas requiritur ad condonationem voti & talis promissionis, quam ad dissolutionem alterius contractus.

Secundò, Si hac forma votum conciperem, *Voueo Deo & tibi Prælo perpetuum obsequium in hoc Monasterio, si me volēs retinere; ita tamen ut si fraude, minis, aliòve modo dimissionem extorfero, nolim ulterius obligari; imprudenter & irreligiosè conceptum censeretur, nec Prælati vellet acceptare: atqui hoc modo intelligi deberet, si quis modus tollendæ conditionis, & obtinendæ missionis ad liberationem sufficeret.*

Tertiò, Qui illo modo vouet, non minùs obligatur ex parte sua, quam si nulla talis conditio subesset: non enim illa conditio additur ut ipse vouens minùs sit obstrictus, aut facilius obligationem possit excutere, sed ut Prælo sit integrum, si aliquando deprehenderit ipsius obsequium minùs esse necessarium vel vtile, illum dimittere. atqui si illa conditio abesset, & eo modo dimissionem extorqueres, nemo te censeret liberum, nisi rursus te paratum exhibeas: ergo nec apposita tali conditione liber eris.

149

Quartò, Qui minis & fraudibus nictur extorquere dimissionem, facit iniuriam Prælo & Monasterio, adimendo illi libertatem, quam habere debet ad talem actum, & cogendo ad id quod aliàs nollit: ergo tenetur illum restituere in priorem statum, reddita libertate ut faciat quod bonum illi videbitur, hoc autem fieri non potest, nisi paratus sit rursus ad obsequium recipi, & quantum in se est, omnia reddere infecta, ea in statum priorem reuocando. Confirmatur, quia quicumque per iniuriam cogit alterum ad aliquem contractum vel distractum, tenetur illum restituere suæ libertati, & paratum se exhibere ad omnia reducenda in priorem statum, ut omnes Doctores docent: de quo vide supra cap. 17. dubit. 6. at in tali voto, inter Prælatum & vouentem est aliquis contractus, & hic cogit illum per iniuriam ad contractum dissoluendum: ergo. Nec refert vtrum cogat per metum grauem, an leuem, modò iniuria sit causa sine qua alter nollit dissoluere. Pari modo qui per iniuriam extorquet ab aliquo condonationem eius rei, quam illi debet ex iustitia, vel alia stricta obligatione, non liberatur, nisi illum restituat suæ libertati, ut liberè condonet: at iste vouens ex iustitia tenetur manere; & extorquet dimissionem per iniuriam: ergo non liberatur, &c.

Vouens finem, vouet tacitè media ad illum finem necessaria, ut per se patet: atqui medium necessarium

Quintò, Qui vouet aliquem finem, censetur tacitè etiam vouere media ad illum finem necessaria, ut per se patet: atqui medium necessarium

est, non potèrè directè impedimenta implendi voti, & si posueris, ea tollere quantum potes: ergo qui vouit perpetuum obsequium in Monasterio, si directè aliqua impedimenta obiecerit, tenetur ea pro sua virili tollere; ac proinde mutatis moribus se rursus exhibere.

Dices, Id esse verum ante dimissionem, quando votum principale adhuc obligat: secus quando sublatum est per dispensationem.

Respondeo, Certum est, hoc votum non posse tolli per dispensationem; quia non subest iusta causa, uti supponimus, cuius defectu omnis dispensatio est irrita. Per irritationem tamen, vel potius desitionem conditionis, sub qua factum est, tolli potest: sed cum hæc per iniuriam extorta sit, non potest ita tollere votum ut cesset omnis obligatio; nec potest alterum reddere securum, nisi paratus sit omnia in priorem statum reducere. Sicut si aliquid mihi vel tercio in meum fauorem promissisti, & cogas me ad condonationem, non liberaris, ut antè dictum est.

Sextò, Talis non videtur posse verè pœnitere coram Deo, nisi paratus sit sarcire iniuriam, quam intulit Monasterio & Prælo, utendo modis illis iniquis, & ita se ab obsequio promisso subtrahendo: præsertim cum ei lege iustitiæ, vel quasi iustitiæ esset obstrictus; nam fides est pars quædam iustitiæ, ut supra cap. 18. dubit. 8. ostensum est. Hoc enim habet omnis iniuria, ut non possimus de ea pœnitere sicut oportet ad salutem, nisi parati simus illam reparare vel tollere, si alter velit. Idem dico de iniuria facta Deo, cogendo Prælatum condonare quod ipsi promiserat: sed iniuria ista non potest sarciri nisi dolendo ex animo de eo quod factum est, & paratum se exhibendo ad omnia in integrum reuocanda quantum fieri potest.

Denique, Omnis promissio facta alicui sub conditione posita in arbitrio tertij, ita interpretanda est, ut illi tertio debeat relinqui libertas ut conditionem ponat, vel tollat; & si promissor cogat ad tollendam conditionem, non censetur idcirco liber. v. g. promissisti puellæ nuptias, si parens eius consenserit; deinde cogis parentem ut non consentiat; non ideo censendus es liber; quia non sic ab initio conditionem intellexisti. Item omnis conditio ita interpretanda est, ut non det occasionem violandi voti vel contractus: atqui daretur maxima occasio violandi, si ita intelligeretur ut posset huiusmodi malis artibus enerti: ergo, &c.

Ad Primum: Prælati eo casu dimittit quidem absolutè, sed coactè, non liberè: at quæ vi vel metu facta sunt, in irritum reuocanda sunt; cap. 2. de iis quæ vi.

Ad Secundum: Idem illa dimissio est valida, quia sponte facta; tollitur enim illa conditio, quæ tacitè inerat, omnino liberè: hic autem extorta est per iniuriam. Ad probat. conseq. Maximi refert à qua causa proueniat consensus in omni contractu: si enim extorqueatur per iniuriam, contractus est irritus, vel in irritum reuocabilis; & qui extorsit, tenetur reducere omnia ad priorem statum, si alter velit. Neque verum est, hunc liberè dimitti ea libertate, quæ sufficit ut actus sit omnino validus, reddatque alterum securum, ut patet in condonationibus simili modo extortis.

Peres, Quid si talis non solum vouit obsequium & famulatum, sed etiam conuentiam

150
Obiecti.

Resp.

151
Ad argu-
menta.

152

per-

perpetuam, sub eadem tacita vel expressa conditione; Vtrum dimissione extorta teneatur adhuc voto castitatis?

*Quid si
vovit es-
tam conti-
nentiam.*

Respondeo, Probabile est non teneri immediatè hoc voto; quia mens ipsius non videtur fuisse ad hanc se obstringere, nisi maneret in Monasterij obsequio; non autem si contingeret illum dimitti. Teneatur tamen mediatè, quatenus obligatur se rursus exhibere; vt recipiatur ad præstandum serui & bona fide famulatum, quem promisit. vbi enim receptus fue-

rit, rursus tenebitur vi prioris voti.

Contrarium tamen videri possit probabilius, quia conditio sub qua promisit, non fuit sublata eo modo, quo debuit vt votum cessaret: mens enim vouentis erat se obligare, nisi sponte ipsium Superior dimitteret, seu quamdiu illum sponte retinere vellet: atqui nunc illum non dimisit sponte, sed coactus ab ipso per iniuriam; & adhuc cupit illum retinere quantum est ex parte sua: ergo conditio non est sublata eo modo, quo debebat tolli; ac proinde manet obligatio.

C A P V T X L I.

De Statu Religioso.

Constat Dubitationibus 15.

Explicato voto, sequitur vt dicamus de statu religioso, de quo D. Thomas q. 186. & tribus sequentibus. Tamen quia hic status totus constat voto, commodissimè hoc loco tractabitur.

Status Episcoporum in tractatu de Sacramento Ordinis explicandus.

DVBITATIO I.

*Quenam requirantur ad statum
religiosum.*

*1
Quid sta-
tus, &
quotuplex.*



NOTANDUM Primò, Nomen *status* in proposito dupliciter accipi. Primò; Generatim: sic quævis vitæ conditio, in qua homo ad tempus vel perpetuò persistat & permanet, *status* dicitur; vt status innocentia, status legis naturæ, status legis Moysiacæ & Evangelicæ; status huius vitæ, & vitæ futuræ; status beatorum, & status damnatorum; status incipientium, proficientium, perfectorum; status Ecclesiasticus, & status sæcularis; status seruorum & liberorum; viduarum, & virginum, &c. Vide Caietanum quæst. 183. art. 1. Secundò, Strictè, pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obstricti sumus: hoc enim nomen quandam firmitatem denotat, vt docet D. Thomas q. 183. art. 1. & passim alij Doctores. Hoc modo D. Thomas constituit tantum tres status in Ecclesia, Episcoporum, Religiosorum, & conjugatorum; Episcopi enim perpetuo vinculo obstricti sunt obsequio suæ Ecclesiæ: Religiosi obsequio diuino: coniuges obsequio mutuo, ex his duo sunt spirituales, & vocantur status perfectionis: tertius est sæcularis.

*Tres sta-
tus.*

*2
Religionis
nomen tri-
pliciter ac-
cipitur.*

Notandum Secundò, Nomen *religionis* tripliciter accipi. Primò, Pro virtute qua Deus colitur, de qua supra cap. 36. Secundò, Pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro talis formula professione, per quam homo mancipatur obsequio diuino quantum præcisè necessarium est ad salutem; qualis est modò religio Christiana, & olim religio Iudaica. Tertio, Pro peculiari quadam formula & professione, per quam homo ex libera sua electione penitus obsequio

diuino mancipatur. hæc supponit omnia ad quæ obligat communis religio Christiana, & propriè includit aliqua alia, quæ maximè ad perfectionem conducunt. vnde peculiari ratione vindicatur sibi nomen Religionis. huius professores propriè dicuntur *Religiosi*; quasi toto diuino cultui *Religiosi* addicti. Dionysius de Ecclesiastica hierarchia cap. 6. dicit eos à *suis ducibus*, id est, ab Aposto- *Cur dicitur
lis appellatos* *de gratia pura Dei obsequio & cul-* *de gratia &
tu* eodem nomine vocat illos Philo in lib. de Con- *tal.*
templatione; idque ob duas causas, vt ibi insinuat: tum quia cultui & obsequio Numinis penitus dediti; tum quia toti sunt in animo suo curando & virtutibus excolendo. *de gratia dicitur enim duo signifi-
cat, colere & curare*, seu mederi, eodemque modo vsurpatur apud Græcos, quo hæc apud Latinos. Vocati sunt etiam ab Apostolis *Monachi*, teste *Monachi.* Dionysio supra, à *vita inuisibili & singulari, qua
in Deiformem monadem colliguntur & perficiuntur.* Dicuntur etiam *anachoræ* à D. Basilio & aliis, id *Anachoræ.* est, *exercitiores*, quia eorum munus est, se in virtutis palæstra exercere. Hinc *anachoræ* eiusdem Basilij, quæ ad instructionem Monachorum pertinent. Nomen tamen *Monachi* propriè non conuenit omnibus Religiosis, sed solis vitæ contemplatiuæ deditis: non enim Mendicantes propriè sunt Monachi, cum assidue inter homines versentur, & multò minus qui ex instituto sunt Clerici seu sacerdotes, vt sunt Canonici regulares, & Religiosi Societatis Iesv. alia enim est Religio Clericorum, alia Monachorum, vt constat ex cap. Licet. 18. de Regularibus, cap. Nullus. 1. & cap. 2. Mandamus. 19. qu. 3. & aliis multis Iuribus. in fauoribus tamen, nomine Monachorum veniunt omnes Religiosi, vt docet Panormitanus in cap. Ex parte. 2. de postulat. Prælat. & alij Doctores.

Vulgò in Italia, Hispania, & Gallia vocantur *Patres.* Patres; quod nomen potius est benevolentia & charitatis, quam honoris. nam etiam laicis Religiosorum à sæcularibus tribuitur. vnde etiam laicis sacerdotibus, & in primis Parochis tribui possit; tamen honoris causâ hi potius vocantur domini quam Patres, sicut & Magnatum filij, patres suos dominos vocant. Itaque Religiosis, qui in plebem & pauperes quolibet parentum affectum & officia præstant, & magis amo-